This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

47. 902.



47.902.

DE

ETHICIS NICOMACHEIS ET EUDEMIIS

ARISTOTELIS NOMINE INSCRIPTIS

DISSERTATIO.

EDIDIT

A. M. FISCHER, PHIL. DR.

BONNAE

MDCCCXLVII.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA

PRAECEPTORI SPECTATISSIMO

CHRISTIANO A. BRANDIS,

PHIL. DOCTORI, REGIMINIS CONSILIARIO INTIMO, PROF. PUBL. ORD.,
EQUITI ETC. ETC.

HASCE PAGELLAS

UT SUMMAE REVERENTIAE SIGNUM

D. D. D.

SCRIPTOR.

Ad ethica Aristotelea recte intelligenda qui novum aliquod adiumentum afferre conatur, eis qui harum rerum sunt periti non potest videri operam perdere. Quamvis enim multos huius operis explanatores atque emendatores unaquaeque fere aetas tulerit, tamen adhuc nemo omnes difficultates ita expedivit, ut non multa restarent dubia atque incerta. Praeter cetera autem digna visa est, in quam accuratius inquirerem, ea quaestio quae et in genuina Nicomacheorum et Eudomiorum forma inveniendа versatur, et in ratione, quae inter duo haec opera intercedit, recte definienda. Quam quaestionem etsi cum pulvisculo me exhausturum minime spero: nonnulla tamen a prioribus interpretibus vel prorsus neglecta vel non ita, ut debebat, tractata afferri posse videbantur, quae impeditam illam quaestionem aliqua sane luce illustrarent.

Iam ut huius disputationis rationem aperiam, prae ceteris omnem de controversis utriusque operis scriptoribus disceptationem excludo, qua in re eorum sententiam nulli, ut videtur, dubitationi hodie obnoxiam sequor, qui sola ethica Nicomachea Aristoteli tribuunt, Eudemia

autem Eudemo;[1]) quam sententiam Spengelius nuper in disputatione sua academica copiose exposuit atque defendit.[2]) Simul profiteor, eandem hanc disputationem, partem certe maximam, operis mei tanquam fundamentum esse, id quod eo minus quemquam improbaturum esse confido, quod omnium fere priorum de eadem re sententiae in libello isto compositae et examinatae sunt. Ceterum, qui de auctoribus duorum operum etiam nunc dubitat, id certe, dummodo tria illa ethica, quae nomine Aristotelis feruntur, semel tantum per singulas partes inter se comparavit, negare non poterit: Eudemia ad exemplar Nicomacheorum conscripta esse, ethica magna autem nil nisi epitomen Eudemiorum exhibere.[3]) Quod qui accuratius perspicere velit, is ipsum adeat Spengelii librum supra allatum.

Hisce igitur controversiis omissis, aliae existunt quaestiones, quae ad Nicomachea aeque atque ad Eudemia recte cognoscenda maximi sunt momenti. Atque prior quidem haec est, ut quaeratur: quid de tribus illis

---

1) Ethica magna, quae dicuntur, vel post Eudemi aetatem scripta esse equidem pro explorato habeo.

2) Spengel: Ueber die unter dem Namen des Aristoteles erhaltenen ethischen Schriften,— vorgetragen in der Sitzung der philosophisch-philologischen Classe am 24. April 1841. In den Abhandlungen der Münchener Akademie.
Conferas simul Brandis: in museo Rhenano 1827. Pansch: De ethicis Nicomacheis, genuino Aristotelis libro. Bonn 1833.

3) Prae ceteris ea sententia quam Schleiermacherus hac de re prodidit, probabilitatis speciem aliquam prae se ferre videtur; at causa illa, quae maxime eum adducere potuit, ut Nicomachea abiudicaret Aristoteli per disputationem nostram plane sublata apparebit. Conf. Schleierm. sämmtl. Werke III. Abth. 3. Bd.

libris (Nic ε, ζ, η seu Eud. δ, ε, ζ,) iudicandnm sit, qui in ambobus hisce operibus ad verbum consoni reperiuntur; altera vero, quae sine priori illa, quod mihi quidem videtur, nullo pacto absolvi poterit, haec: quonam, si ea potissimum spectas, in quibus summa totius disquisitionis versatur, Eudemia ethica differant a Nicomacheis, unde queas colligere, utrum Eudemus nil nisi interpretari opus Aristoteleum voluerit, an aliud quoddam peculiare consilium in ethicis conscribendis persecutus sit. Spengelius accurate prolatis, quae usque adhuc de tribus illis libris propositae sunt, variis atque diversis sententiis, certisque constitutis finibus, quibus omnis controversia contineri debeat,[4]) ad utraque, et quae Schleiermacherus et quae Titzius sibi contraria proposuerunt, redarguenda progreditur, quo facto in hanc sententiam quae sola iam superesse videretur, disquisitio eius evadit: tres libros illos primitus pertinere ad ethica Nicomachea, Eudemiorum autem hoc loco magnam partem deperditam esse, quam librarii pri-

4) »Entweder sind sie (die drei Bücher) dieser Ethik (den Eudemien) ganz fremd, und sie besteht nur aus vier Büchern als ein ganzes, wie Diogenes nur eine Ethik aus vier, nach andern aus fünf Büchern kennt, und dieses ist Titze's Meinung. Oder sie gehören ursprünglich hierher und sind aus diesem Werk in die Nikomachien übertragen, was Schleiermacher zu beweisen sucht; in diesem Fall müsste gegen Schl's Urtheil angenommen werden, dass die ächten Bücher der Nikomachien verloren gegangen sind. Oder endlich, es ist das Entgegengesetzte geschehen; die Eudemien haben ihren Inhalt der in den drei Büchern vorliegt, verloren, und sind später, da sich dieselben Gegenstände in den Nikomachien behandelt fanden, aus diesen ergänzt worden. Dieses ist unsre Ansicht, die wir im folgenden, — mehr wage ich nicht zu sagen — wahrscheinlich zu machen suchen.»

oris aetatis ex Nicomacheis suppleverint. Quod ut facerent id potissimum eos adducere potuisse, quod propter magnam duorum operum similitudinem verisimile fuerit, deperditis hisce libris Eudemiorum eadem fere contenta fuisse, quae servata essent in Nicomacheis. Sed quamvis magnam operam Spengelius ad hanc opinionem confirmandam impendat, facere tamen non potest, quin ipse confiteatur, vel sic insuperabilem quandam relinqui difficultatem. Nam postquam omnia quae coniecturae suae aut favent aut adversantur accurate perpendit, in appendice disputationis rem iterum hisce verbis attingit: „Die wiederholte Behandlung der ἡδονή im siebenten und zehnten Buch der nikomachischen Ethik ist, wie oben gezeigt worden, ein Uebelstand den keine Interpretation beseitigen kann. Ist die erste von Aristoteles, so wird die zweite entbehrlich, aber gerade diese behauptet äusserlich wie innerlich ihre feste Stellung in den Nikomachien; äusserlich, weil sie schon im vorhergehenden IX, 9. p. 1170. 25 für jenen Ort angekündigt ist, innerlich, weil sie die vorzüglichere und ausführlichere Darstellung von der ἡδονή giebt. Darum meinte Casaubonus, die letzten Capitel des siebenten Buches von der Lust seien mit Unrecht und nur durch die Abschreiber aus den Eudemien in die Nikomachien gewandert, damit ist zunächst der Stein des Anstosses entfernt, aber Schleiermachers Einwurf scheint nicht ungegründet, dass, wenn diese wenigen Capitel den Eudemien zufallen, ebenso das ganze Buch, ja die sämmtlichen drei Bücher diesen eigen sein müssen. Dieses wird um so glaublicher, wenn man bedenkt, dass die Eudemien bereits vorher III. 2. pag. 1231. b. 2. die Untersuchung der ἡδονή gerade für diesen Ort ange-

kündigt haben. In Beziehung auf den Artikel ἡδονὴ scheinen schon einige im Alterthum derselben Ansicht wie Casaubonus gewesen zu sein."

Porro in fine expositionis quae ad rem eandem pertinet, aperte declarat, (p. 97):

„Es ist sehr leicht möglich und selbst durch manche Andeutungen begünstigt, dass jene erste Untersuchung nur eine Umarbeitung des Eudemus aus dem zehnten Buch der Nikomachien bildet; ist aber dieser Artikel von Eudemus, so scheint demselben auch der über die ἐγκράτεια, d. h. das ganze siebente Buch zuzufallen, und dann stehen die beiden andern, das fünfte und sechste den Nikomachien nicht fester."

Hisce tandem rem absolvit:

„Ich wage darüber nicht einen entscheidenden Ausspruch, und wünsche, dass andere denselben Gegenstand einer genaueren Untersuchung unterwerfen; gleichwohl muss zugestanden werden, dass eine grössere Wahrscheinlichkeit dahin führt, die erstere Abhandlung der ἡδονὴ für ein Bruchstück der Eudemischen Ethik zu halten."

Quae omnia si accuratius tecum reputaveris, non videbitur negari posse, primum quidem, capita illa de voluptate in Nic η a ratione quam Nicomacheorum auctor in ceteris operis partibus secutus est, prorsus abhorrere;[5]) deinde vero, si causa exstat nulla cur ne-

5) Omissis etiam icommodis illis quae Spengelius externa nominat, iam per se haec capita eam prae se ferunt speciem, ut nullo pacto Aristotele digna esse videantur. In solvenda enim quaestione, num forte liceat, ipsam voluptatem pro summo bono habere, scriptor tot ambagibus utitur totque insulsis dubitationibus rem contorquet, ut probe cognoscas

xus, quo capita illa cum prioribus, quae agunt de continentia, coniunguntur ut adulterinum addubitemus (non solum enim priore quodam Eudemiorum loco hic ordo significatur, sed in toto etiam libro η (sive Eud ζ), ubi

---

hominem qui vel non audeat sententiam suam aperte profiteri, vel non possit dilucida eam probare argumentatione. Utrumque vero in Aristotelem sane non quadrat. Neque illam quidem rei explicationem iam dudum propositam (vide Spengelium. l. c. p. 83) quae in tota commentatione nil nisi dialecticam quodammodo exercitationem videt, accipere possumus, quum scriptor id sine dubio agat, ut certam quandam sententiam Aristoteleae prorsus oppositam exponat. (Conf. Nic. κ. 2. fin.) Apertissime enim tota demonstratio eo praecipue tendit ut revera voluptatem, siquidem haec vox significatione quadam strictiore accipiatur, pro summo bono habendam esse probet. Quamquam auctor hac de re caute admonum et obscuris verbis loquitur, ita ut disertius nil fere expressum inveniamus nisi haec: *ἀριστόν τ'οὐδὲν κωλύει ἡδονήν τινα εἶναι*, vel: *ἔτι οὐκ ἀνάγκη ἕτερόν τι βέλτιον εἶναι τῆς ἡδονῆς*. Neque minus animum scriptoris haesitantem prodere videntur haec, quibus disputationem suam claudit: *καὶ τὸ διώκειν δ'ἅπαντα καὶ θηρία καὶ ἀνθρώπους τὴν ἡδονὴν σημεῖόν τι τοῦ εἶναι πως τὸ ἄριστον αὐτήν*. (conf. cum his locum Nic. κ, 2. init.) Aristoteles quoque argumenta illa quibus antiquiores philosophi voluptates aut impugnaverant aut defenderant in libro κ perpendit quidem omnia, sed in hancce potius sententiam aperte expressam eius disquisitio evadit: *ὅτι μὲν οὖν οὔτε τ'ἀγαθὸν ἡ ἡδονὴ οὔτε πᾶσα αἱρετή, δῆλον ἔοικεν εἶνα κτλ.* Itaque anxietas illa quae nos in Nic. η offendit, haud sane explicationem magis probabilem admittit, quam si ponitur, Eudemum id quod ex recensione Aristotelea illa efficitur, haud ita verum duxisse, simul autem veritum esse ne praeceptori suo apertius obloqueretur, cuius verecundiae exempla alia etiam et manifestissima infra ex Eudemiis afferemus.

primaria disquisitionis perpetuitas corrupta esse videatur, frustra quaeras):[6] si haec, dico, ita sunt, ideoque dubitari nequit, quin una cum capitibus de voluptate totus liber η ex Nicomacheis ad Endemia sit reiiciendus; — equidem non video quo quis iure contendat, nil iam de tota trium librorum serie superesse quod locum suum in Nicomacheis tenere queat. Spengelius qui disceptationem hac de re ita terminat (vide annot. 4) ut tres libros illos totos aut ad Nicomachea aut ad Eude-

---

6) Tale quid iure optimo in fine libri Nic. η suspicamur, si nexum quo cum initio libri Nic. ϑ cohaeret respicimus. Spengelius, qui ad aliud quoddam probandum hac observatione utitur, in annotatione II ad paginam 65 haec dicit: »An diesem Zusatz (den Worten: *λοιπὸν δὲ καὶ περὶ φιλίας ἐροῦμεν*) kann man überhaupt zweifeln, nicht nur, weil andre Handschriften haben: *λοιπὸν δὲ καὶ περὶ φιλίας ἐστὶν εἰπεῖν καὶ ποῖόν τι καὶ τίς ὁ φίλος*, sondern weil der ächte Uebergang im nächsten Buch folgt: *μετὰ δὲ ταῦτα περὶ φιλίας ἔποιτ' ἂν διελθεῖν.*« Causa autem, cur de additamento isto dubitemus, sublata sane apparet, si, id quod Sengelius postea concedere haudquaquam dubitat, causae gravissimae exstant, ob quas tota disquisitio *περὶ ἡδονῆς* ad ethica Eudemia trahenda esse videatur; tum vero verba extrema libri Eud ζ: *λοιπὸν δὲ καὶ περὶ φιλίας ἐροῦμεν* cum initio libri Eud η collata minime incommodam redundantiam verborum praebent. Sin autem alteram illam lectionem praefers: *λοιπὸν δὲ καὶ περὶ φιλίας ἐστὶν εἰπεῖν καὶ ποῖόν τι καὶ τίς ὁ φίλος*, eo magis etiam finis libri Eud ζ cum initio Eud η consentire videtur, ubi legimus: *Περὶ φιλίας τί ἐστι καὶ ποῖόν τι καὶ τίς ὁ φίλος κ. τ. λ.* nisi forte librarius quidam hoc loco alterius libri exitum cum alterius initio confudit. Sed, utut rem consideras, transitus ex fine libri Nic. η (Eud ζ) certe multo facilior ad initium libri Eud η quam ad libri Nic. ϑ esse videtur.

mia trahendos esse censeat, Schleiermacheri sententiam supra commemoratam secutus esse videtur.[7]) Verba enim quibus Spengelius opinionem suam exponit (vide l. c. p. 97), sententiam illam quodammodo reddunt, quam num recte vir doctissimus comprobaverit, equidem valde dubito. Cur enim, si causae haud leves impediunt, quominus res nec una nec altera ratione penitus explicari possit, tertia quaedam via negligitur, quae praeter priores illas iam unica fere relinquitur. Etenim eodem iure quo ponis, ex altero tantum duorum operum partem quandam intercidisse quam posteri ex altero suppleverint, eodem sane iure ponere licet, utrumque opus aliquando mutilatum a librariis mutua vice resarcitum esse, id quod tum demum a verisimilitudine abhorreret, si nusquam intra controversos libros disquisitionis filum abruptum esset; ita enim sumere cogeremur, alterius operis lacunam eo ipso loco finem habuisse, quo in altero opere incipiebat, quod sane nisi miro quodam casu accidere non potuit. Sed ruptura illa quam in libro Nic η frustra quaerimus, in libro Nic ε tam manifesto apparet, ut, praesertim si alia etiam argumenta haud levia accedunt, vix iam ulla hac de re restet dubitatio. Est autem locus quidam in libro ε, quo unius eiusdemque quaestionis tractatio duplex occurrit, quarum altera ita extra ordinem posita est, ut nulla omnino interpretatio ad excusandam talem dispositionem sufficiat. Illinc, id quod suo loco infra demonstrabimus, apertissime patet, in Nicomacheis, finita disquisitione de iustitia, lacunam duorum librorum exstitisse, quam nunc iidem libri Eudemii explent; in ethicis autem Eudemiis ipsam illam de iustitia disqui-

7) Spengel. l. c. p. 82.

sitionem periisse, neque tamen totam, sed ita, ut ultima eius pars adhuc servata, cum sequentibus duobus libris (Eud ε et ζ) alteri operi a librariis inserta, nunc ut appendix prorsus supervacanea adhaereat disquisitioni de iustitia libri Nic ε. Statim ad haec revertemur.

Iam vero praeter iustissimam illam dubitationem, quam nobis disquisitio de voluptatibus in libro Nic η de hoc ipso libro iniicit, etiam aliud quid in Nicomacheis intra tres libros nostros reperitur, quod valde displicet, et neminem, credo, fugere potest, qui totius operis structuram ac dispositionem consideravit. Quis enim est, quem maxima illa negligentia non offendat, qua virtutes intellectuales (διανοητικαί) in libro Nic ζ tam leviter et quasi in transitu tantum tractantur? Quamquam scriptor, quod omnes fere ceterae Nicomacheorum partes testantur, hisce virtutibus vim longe maiorem quam alteri virtutum generi (ἠθικὰς dico) tribuit; tamen ubi, virtutibus moralibus singulatim accuratissime tractatis, idem de intellectualibus exspectamus, nil fere nisi ieiuna quaedam definitionum series insequitur, quae, si prioris virtutum descriptionis ubertatem respicis, mira sua brevitate unumquemque offendit. Praeterea hoc loco plane dubium relinquitur, utrum revera hasce virtutes auctor dignas censuerit, quarum descriptio secundam quandam disquisitionis partem ita expleret, ut primam efficiunt virtutes morales, — an putandus sit, id tantum sibi propositum habuisse ut moralitatis (ἠθικῆς ἀρετῆς) notionem hac degressione ad virtutes intellectuales facta accuratius explicaret. Schleiermacherus quidem inde colligit, tota ethica Nicomachea abiudicanda esse Aristoteli, quippe qui talis inconstantiae nullo modo coargui possit; nec sane, ubi ei diiudicandum erat, quaenam e tribus ethicis no-

mine Aristotelis inscriptis vere Aristotelea essent, causa ulla magis idonea erat, quae deNicomacheis ei dubitationem afferret. Ex iis quae hanc in rem apud Schleiermacherum legimus, Spengelius non tam ea redarguenda suscepit, quae gravissima ibi notantur de Nicomacheis, quam quae longe minoris momenti ad solum fere indicem operis (*Ἠθικά*) cum ipso operis argumento collatum pertinent, rem autem ipsam quae hic potissimum agitur, nil fere attingunt. Schleiermacherus in scriptis philosophicis mixtis[8]) haec habet: „Die Sittenlehre ist die Lehre von der Glückseligkeit, die Glückseligkeit ist die den Tugenden gemässe Thätigkeit, die Tugenden selbst aber werden eingetheilt in die sittlichen und geistigen. Können nun in die Sittenlehre Elemente gehören, welche einen dem Sittlichen gegenüberstehenden und also relativ davon ausgeschlossenen Charakter haben? Ich meine die sogenannten geistigen Tugenden. Schliessen wir sie aus, so wird der Begriff der Tugend in der Sittenlehre nicht erschöpft, nehmen wir sie auf, so muss der Unterschied der sittlichen und geistigen Tugenden aufgegeben werden. Hieraus nun ist das Schwanken entstanden, das am Anfang des sechsten Buches der nikomachischen Ethik jedem auffallen muss. Bald klingt es, als ob, nachdem die sittlichen Tugenden abgehandelt sind, nun auch von den geistigen als der zweiten Hauptklasse sollte gehandelt werden, bald wieder[9]) als ob

8) Schleiermacher sämmtliche Werke III. Abtheilung 3. Band V zur Philologie pag. 314.

9) Legimus Nic. ζ cap. 1. p. 1138. b. 18 *Ἐπεὶ δὲ τυγχάνομεν πρότερον εἰρηκότες ὅτι δεῖ τὸ μέσον αἱρεῖσθαι .... τὸ δὲ μέσον ἐστὶν ὡς ὁ λόγος ὁ ὀρθὸς λέγει, τοῦτο διέλωμεν.* Eadem haec sententia usque ad verba ultima capitis primi

dieses nur nothwendig wäre, insofern von ihnen das Mass ausgehen muss, welches die wahre Mitte zwischen den entgegengesetzten Fehlern bestimmen muss, also bloss um der ethischen Tugenden willen. Beide Ansichten schieben sich in den Verbindungsformeln wunderlich durcheinander, und auch die Behandlung ist so schielend, dass nicht recht klar wird, welche Ansicht die herrschende sei. Sollten die geistigen Tugenden den sittlichen gleich behandelt werden, so müsste freilich viel mehr geschehen sein, als geschehen ist; aber doch ist

---

continuatur: *ἀλλὰ καὶ διωρισμένον τίς τ' ἐστὶν ὁ ὀρθὸς λόγος καὶ τούτου τίς ὅρος.* Tum, quod nemo sane negabit, ad id ipsum accuratius exponendum auctor descriptionem virtutum ingenii infert; hisce enim tractatis ad eandem quaestionem illam in capite primo propositam revertitur, maxime autem notione *φρονήσεως*, quam accuratius cum ceteris huius generis virtutibus collatam descripsit, utitur ad notionem moralitatis luculentius exponendam; ita ut ex initio pariter atque e fine disputationis de virtute intellectuali recte colligamus, auctorem eam inprimis ad explicandum *ὀρθὸν λόγον* attulisse. Nihilominus ceterae quoque virtutes ingenii quarum cognitione hunc ad finem non opus erat, breviter perstringuntur, ita ut nescias quodnam consilium revera scriptorem secutum esse credas. Iam vero, quamvis merito apud Aristotelem talem inconstantiam miraremur, tamen optime eam explicari posse censeo, si Eudemus huius libri auctor est. Plurimum enim, id quod ex aliis quoque Eudemiorum partibus apparet, Eudemi interfuit, ut *ὀρθὸν λόγον* illum et notionem *μεσότητος*, quas determinationes moralitatis apud Aristotelem mancas esse iudicavit, cum aliis et distinctioribus commutaret, quod consilium hoc quoque loco adeo eum occupasse videtur, ut ea tantum de altero virtutum genere in transitu attingenda putaret, quae praetermitti non poterant sine offensione.

von Erkenntniss, Vernünftigkeit und Weisheit viel ausführlicher die Rede als um jenes Punktes willen nöthig gewesen wäre.[10]) Wenn man dagegen wieder betrachtet, dass hernach von der Mässigung gehandeit wird, welche doch auf jeden Fall in das Gebiet der sittlichen Tugenden gehört, so wird man wieder geneigt, alles was in der Behandlung der geistigen Tugenden über das Bedürfniss, das Mass zu bestimmen, hinausgeht, nur für eine Abschweifung zu halten etc."

Posterior huius argumentationis pars solum librum Nic ζ attingit,[11]) simulque liquet, totam hanc vituperationem haudquaquam eundem in modum de ethicis Nicomacheis valere, si per disiunctionem illam supra propositam, quae in parte controversa Nicomacheos libros ab Eudemiis discernit, liber ζ quoque ad Eudemia reiicitur, qua reiectione propter alias etiam et manifestissimas contradictiones inter libros Nic α et ζ obvias infraque monstrandas nullo pacto possumus supersedere. Quod autem Schleiermacherus disiunctionem moralium et intellectualium virtutum reprehendit, id non tam ad partem quandam librorum nostrorum quam ad totius potius operis primariam structuram pertinet; simul autem

---

10) Auctor magnorum moralium quoque, qui opus suum ad exemplar Eudemiorum conscripsit, procul dubio sensit ineptam huius loci dispositionem, dedita enim opera excusat quod hisce in rebus σοφίαν quoque tractet. I. 34.

11) Mirum est, quod Schleiermacherus, quamquam alibi ipse probare conatur, tres libros nostros non Nicomacheis sed Eudemiis tribuendos esse, tamen illa quoque difficultate, quae ad solum librum Nic ζ pertinet, utitur ad confirmandam sententiam suam, ethica Nicomachea omnino Aristoteli tribui non posse.

Schleiermacherus erravit, quod hac potissimum de causa ethica magna Nicomacheis praeferenda esse iudicavit; idem enim lapsus, si recte ita nominatur, similiter in ethicis magnis, quamquam minus aperte, reperitur.[12])

Itaque, si nec liber Nic ζ cum toto Nicomacheorum consilio quod in ceteris eorum partibus conspicitur, congruit, nec praeterea quidquam est cur de iusto partium ordine inde ab initio libri Nic ζ usque ad finem libri η (i. e. ad finem disquisitionis de voluptate) dubitemus,[13]) iam fieri non posse videtur quin eadem illa via quae, Spengelio concedente, in disquisitione de voluptatibus ineunda est, in toto simul libro ζ ineatur, i. e. quin libros ambo Nic. ζ et η et praeterhac libri ε partem extremam (usque ad eum huius libri locum, quo nos mira illa cohaerentiae ruptura offendit) ex Nicomacheis ad Eudemia reiiciamus. Priusquam autem accuratius de hac re disserere possum, in locum illum libri ε, quem modo commemoravi, diligentius inquiramus necesse est.

Quicunque disquisitionem de iustitia quae librum Nic ε explet, paullo diligentius consideraverit, negare non poterit, non solum ipsam Aristotele dignissimam esse, sed etiam ea quae in toto capite ε, 13 leguntur, pulcrae

---

12) Spengel. l. c. p. 28.

13) Disquisitio illa quae est de ἐγκρατείᾳ καὶ ἀκρασίᾳ nil aliud nisi eandem necessitudinem, quam inter virtutem moralem et virtutem φρονήσεως intercedere in libro antecedente demonstratum est, ante oculos ponit; φρόνιμος hoc respectu is est, qui ὀρθὸν λόγον possidet; ἐγκράτεια autem et ἀκρασία ex mutua duarum animi partium contentione oriuntur, prout aut altera pars rationalis (quae in hac functione φρόνησις nominatur) alterius cupiditates coercet, aut altera contra alterius dominationem vi sua propulsat.

disquisitioni pulcerrimum finem imponere. Si reputaveris, summam considerandae iustitiae rationem atque extremos eius fines hoc in capite exponi, post haec autem iam non amplius de iustitia, proprie ac strictim sic dicta, disputari, sed aliam illam et quodammodo accessoriam disquisitionem de aequitate insequi, — quae in se ipsa, ut ita dicam, conclusa nil omnino ad ipsam iustitiae notionem illustrandam confert, sed praemissam potius huius cognitionem postulat, — haec, dico, si respexeris, fieri sane non poterit, quin quaestiunculae cuiusdam, in disquisitione de iustitia iam prorsus absolutae, ineptissimam repetitionem maximopere mireris. Quaestincula haec est: *εἰ ἐνδέχεται ἑαυτὸν ἀδικεῖν.* Postquam enim in capite 14 de aequitate disputatum est, praeter exspectationem capitis 15 initium eo nos reducit, quo stetimus iam in capitibus 11 et 12. Incipit caput *ε*, 15: *πότερον δ'ἐνδέχεται ἑαυτὸν ἀδικεῖν ἢ οὔ, φανερὸν ἐκ τῶν εἰρημένων,* quae res late atque verbose tractatur, quasi antea nulla iam eius mentio facta esset. Accedit quod nil plane in disquisitione de aequitate reperitur, quod ad quaestionem illam solvendam aliquid faciat, quare nec putari potest eo consilio interposita esse ut altius penetrandae illi inserviret. Attamen illud: *φανερὸν ἐκ τῶν εἰρημένων* nexum quendam cum prioribus significat, id quod vel solum eo nos adducit, ut haec omnia olim alibi et ita quidem collocata fuisse credamus, ut alia quaedam antecesserint. Ceterum, omisso etiam hoc argumento, nullo pacto credibile est, quaestionem tam futilem Aristoteli adeo cordi fuisse, ut operae ei pretium visum sit, de ea denuo tamque diffuse agere. Legimus Nic *ε*, 11 fin. *ἔστι δὲ καὶ τοῦτο ἕν τι τῶν ἀπορουμένων, εἰ ἐνδέχεται αὐτὸν αὑτὸν ἀδικεῖν. ἔτι ἑκὼν ἄν τις δι'ἀκρασίαν ὑπ' ἄλλου βλάπτοιτο ἑκόντος,*

ὥστε εἰη ἂν ἑκόντ' ἀδικεῖσθαι . . . . βλάπτεται μὲν οὖν τις ἑκὼν καὶ τἄδικα πάσχει, ἀδικεῖται δ'οὐθεὶς ἑκών κτλ. Non dedita quidem opera hoc loco de quaestione αὑτὸν ἀδικεῖν disputatur, sed et hanc verbis eius postremis solvi nemo non videt; quodsi enim ἑκόντα ἀδικεῖσθαι absurdum est, iam per se liquet, αὑτὸν ἀδικεῖν non minus esse ineptum, quum illud ἀδικεῖν non possit nisi ἑκούσιον esse, id quod iam dudum demonstratum est. Itaque quaestio illa per se iam ideo evanescit, quod fieri non potest ut, quam quis iniuriam sibi ipse sua sponte inferat, eandem invitus a se patiatur. Pluribus verbis ad id demonstrandum non opus fuisse, satis liquet. Nil autem aliud hoc loco scriptorem dicere voluisse, ex insequenti exemplo quod affert et e verbis apparet quae adiicit: ἐπ' αὐτῷ γάρ ἐστι τὸ διδόναι. τὸ δ'αδικεῖσθαι οὐκ ἐπ' αὐτῷ, ἀλλὰ τὸν ἀδικοῦντα δεῖ ὑπάρχειν. Attamen ex initio capitis 12 sequi videtur, cogitasse scriptorem de re denuo tractanda; dicit enim haec: ἔτι δ'ὧν προειλόμεθα δύ'ἔστιν εἰπεῖν, πότερον ποτ' ἀδικεῖ ὁ νείμας παρὰ τὴν ἀξίαν τὸ πλεῖον ἢ ὁ ἔχων, καὶ εἰ ἔστιν αὐτὸν αὑτὸν ἀδικεῖν, sed ex ipsa capitis descriptione perspicitur, id tantum hoc loco agi, ut ex occasione quaestionis: πότερὸν ποτ' κτλ. exemplum quoddam iniuriae in se ipsum illatae (dico exemplum: εἴ τις πλέον ἑτέρῳ ἢ ἑαυτῷ νέμει εἰδὼς καὶ ἑκών) quod solum iam superesse videri poterat, una cum hac quaestione absolvatur. Reddita enim ratione, cur ne haec quidem causa exemplum praebeat iniuriae in se ipsum illatae, iam ad alia et nova disquisitio progreditur (scilicet haecce: ἔτι ἐπεὶ πολλαχῶς τὸ ποιεῖν κτλ. tum: ἔτι εἰ μὲν ἀγνοῶν ἔκρινεν κτλ.) quae nil prorsus rem illam attingunt; quamquam, si auctor de quaestione αὑτὸν ἀδικεῖν aliquid addendum habuisset, id isto potissimum loco

addere debebat. Tum totum caput 13 quod, singulis scrupulis omnibus exemptis, ad virtutem iustitiae summatim considerandam revertitur, apertissime prae se fert speciem epilogi, qui totam disquisitionem de iustitia proprie sic dicta concludit ita, ut, etiamsi caput 14 de aequitate omnino omittere velles, nihilo magis intelligeres quemadmodum auctor sana mente posthac rem eandem (illud ἑαυτὸν ἀδικεῖν) iterum afferre potuisset.[14])

---

14) Via illa quam Spengelius (in annot. ad pag. 34) ad hanc rem enodandam init, ideo haudquaquam sufficit, quod non credibile est, casu quodam fieri potuisse ut tota illa disquisitio περὶ ἐπιεικείας plena et integra ex loco priori suo, cuius vestigium nusquam in lacuma ulla reliqua invenimus, contra ordinem omnem non solum in medias dubitationes περὶ δικαιοσύνης (quod Spengelius videt), sed revera in mediam quaestionem ἑαυτὸν ἀδικεῖν transponeretur; simul autem causa apparet nulla, ob quam forte librarius aliquis partium ordinem consulto ita mutare potuerit, ut in alio quodam loco (in libro Eud η) id factum esse Spengelius probavit. Sed etiamsi, quod Spengelio visum est, concedis, disquisitionem περὶ ἐπιεικείας (cap. 14) loco quodam superiori aliquando positam fuisse, res nondum explicata est, quod tum caput etiam tertium decimum coniunctionem capitis quinti decimi cum libro ε intercludit; qui autem, ut sibi hac in re constet, in capite tertio decimo nil nisi forfuitam degressionem temere interiectam videt, ex mea quidem sententia, nil fere absurdius defendere potest. Praeterea haud facile negabis, disquisitionem illam περὶ ἐπιεικείας nusquam locum magis idoneum habere potuisse, quam quo revera eam invenis, post disquisitionem περὶ δικαιοσύνης. Spengelius quidem verisimile esse affirmat, olim eam eodem loco positam fuisse, quo ad explicandam notionem iustitiae ἀντιπεπονθός illud tractatur; causam autem huius opinionis nullam aliam affert, nisi quod legamus in capite ε, 10: πῶς μὲν οὖν ἔχει τὸ ἀντιπεπονθὸς πρὸς τὸ δίκαιον κτλ.

Si contra scrupulosam quaestiunculae nostrae explicationem quae in capite 15 exstat, cum anxia illa argumentandi ratione confers qua haud raro in Eudemiis defatigamur, facere non poteris quin hic quoque sentias animum pusillum Eudemi, qui saepissime ad explicandas Nicomacheorum quaestiones non solum Aristoteleis argumentis utitur, sed de suo insuper hoc illudve adiicit, quo magis res conficiatur. Ad rei summam quod attinet, argumentatio capitis 15 nil plane differt ab illa quae est in capite 11; utroque loco notione spontanei adhibita demonstratur, iniuriam in se ipsum illatam esse nullam. Idem illud quod legimus in ε, 11. 1136. b. 6: *βλάπτεται μὲν οὖν τις ἑκὼν καὶ τ' ἄδικα πάσχει, ἀδικεῖται δ' οὐθεὶς ἑκών*, iteratur ε, 15. 1138. 12: *ἑκὼν γὰρ πάσχει,*

---

ac tum in capite ε, 15: *πῶς ἔχει ἡ μὲν ἐπιείκεια πρὸς δικαιοσύνην, τὸ δ' ἐπιεικὲς πρὸς τὸ δίκαιον κτλ.* Ex sola autem hac similitudine verborum, ubi alia et multo graviora argumenta obstant, verum partium ordinem cognoscere velle, mihi quidem nimis temerarium esse videtur. Prae ceteris enim id respiciendum est, quod ea quae in prioribus capitibus de notione *ἀντιπεπνθὸς* dicuntur, ita inserta sunt disquisitioni *περὶ δικαιοσύνης*, cuius notioni exponendae proprie inserviunt, ut, nisi hanc dissolvere velis, nullo pacto inde moveri queant: notione *ἐπιεικείας* autem nil plane scriptor ad explicandam notionem *δικαιοσύνης* utitur; immo potius disquisitio *περὶ ἐπικείας* tota innititur in disquisitione *περὶ δικαιοσύνης*, atque ideo maxime separata illam insequi debuit, quod cognitio aequitatis necessario praemissam postulat cognitionem virtutis iustitiae, quum aequitas nil aliud sit nisi subtilius quoddam genus iustitiae, ultra vulgarem legis observantiam elatum. Accedit, quod disquisitio *περὶ ἐπιεικείας* ita in se conclusa et finita est ut, in mediam disquisitionem *περὶ δικαιοσύνης* transposita, quovis loco incommode interruptura sit veram disputationis continuitatem.

ἀδικεῖται δ᾽ οὐθεὶς ἑκών. tum ibidem 1138, 23: ἔτι εἴη ἂν ἑκόντα ἀδικεῖσθαι. Tum in eodem capite aperte scriptor declarat: ὅλως δὲ λύεται τὸ ἑαυτὸν ἀδικεῖν κατὰ τὸν διορισμὸν τὸν τοῦ ἑκουσίως ἀδικεῖσθαι, quod ipsum argumentum in capite 11 rem iam absolvit. Ineptissimum esset si scriptor unus idemque postea tot molimina fecisset ut id iterum eodem argumento probaret quod loco priori iam in liquidum perductum erat. Ne Eudemo quidem tantum imprudentiae tribuere potes, ut, etiamsi totam disquisitionem de iustitia ad Eudemia trahere velles, non ibi quoque supervacanea illa appendix (caput 15 dico) maximopere te offenderet. Itaque, quandoquidem capita 11 et 15 ambo ad unum opus trahi nequeunt, dubitatio iam nulla superest utri auctori utrum caput tribuendum sit. Caput ε, 15 una cum libris η et ζ ad ethica Eudemia reiiciendum est, tota autem disquisitio de iustitia, omnibus suis partibus integra cum insequenti capite de aequitate locum suum in Nicomacheis obtinet.

Hac nostra de tribuendis libris controversis opinione exposita, quae infra aliis insuper argumentis confirmabitur, fieri iam potest, ut duorum operum in sententiis diversitatem monstremus, qua in re tres libros illos tum demum consulemus, si loci in iis inveniuntur, ex quibus in re una alterave discrepantia duorum operum, aliunde iam perspicua, eum in modum elucet, ut cum alterutro opere contradictio aperta inde efficiatur. Hi vero loci, ut altera ex parte optime inserviunt ad discrimen quod inter Eudemia et Nicomachea est, vel magis illustrandum, ita ex altera parte maximi momenti esse videntur ad diiudicandum, num distributio illa recte facta sit nec ne.

Spengelius, ubi de ratione dicit quae inter ethica Eudemia et Nicomachea intercedat, id iudicat egisse

Eudemum, ut praeceptoris doctrinam, singula ubi id necesse esse videbatur uberius exponendo, partim illustraret partim magis etiam confirmaret. Quae opinio quamvis probabilis esse videatur, tamen negari non potest, ethica Eudemia fronte ac vultu speciem operis proprii ac peculiaris affectare. Nam, si Eudemia nil aliud sibi vellent nisi Nicomachea explicare et in ea commentari, mirum sine dubio esset, Eudemum in eo operam suam perdidisse, ut e Nicomacheis ea quoque omnia aliis tantummodo verbis repeteret, quae propter rerum simplicitatem non desiderabant interpretationem, quaeque in Nicomacheis multo melius quam in Eudemiis disposita et expressa sunt. Debebat potius, si revera id unum consilium sequebatur, lectorem hisce de rebus ad Nicomachea relegare quam repetendis et contorquendis iis quae apud Aristotelem invenerat, libro suo speciem operis singularis atque Nicomacheis prorsus diversi inducere. Hisce causis, ad quas aliae infra accedunt, adducor ut credam Eudemum, quippe qui nonnulla vel melius quam Aristoteles intelligere sibi videretur, idoneum se ipsum iudicasse qui praecepta magistri non solum interpretaretur sed etiam reformaret. Id certe in comparatione Eudemiorum cum Nicomacheis apertissimum est, in rebus compluribus Eudemum ab Aristotele tantopere dissensisse ut vix iam credibile sit, interpretis tantum partes eum sibi sumere potuisse. Sed ad hasce differentias monstrandas non prius progredi possumus quam in memoriam reduxerimus, quaenam Nicomacheorum in prioribus libris dispositio sit.

Ethices disciplina pars prima est philosophiae quam practicam nominamus, quaeque, res omnes vere humanas tractans, praeter ethicen, in qua de singulorum tan-

tum hominum actionibus disputatur, oeconomicen et politicen continet, quae, ut vel vocabula indicant, de re familiari deque re publica generatim agunt. Recte igitur apud veteres hae tres disciplinae ut partes unius eiusdemque doctrinae coniunctae sunt. Ut autem in theoreticis certa aliqua propositio principium (ἀρχήν) suppeditat unde ad cetera cognoscenda progrediamur: ita in practicis finis quidam actionis pro principio est; qui vero finis summus ille sit ad quem omnes actiones humanae spectare debeant, docet philosophia practica. Quoniam autem omnes actiones humanae ad bonum aliquod assequendum nituntur, iam haecce fere forma illa est in qua apud veteres practicae philosophiae problema apparet, ut quaerant, quidnam summum bonum sit, et quonam modo non solum singuli quique sed etiam in rebus domesticis et in re publica id adipiscamur. Itaque et auctor Nicomacheorum in prooemio operis nil antiquius habet quam ut summum aliquem actionum humanarum finem constituat; vocat eum, dum accuratius definiatur, εὐδαιμονίαν, quippe quam, ut doceat experientia diuturna, actiones hominum ad unam omnes appetant. Hoc initio non solum, quam viam ethices disciplina persequendam habeat praenuntiatur, sed etiam, ad quem finem tota philosophia practica necessario evasura sit, significatur, siquidem finis ille summus et ultimus consiliorum in omnibus hominum consortiis tam angustioribus quam latioribus unus idemque est.

Neque tamen summum illud principium actionis humanae, velut per anticipationem quandam iam ab initio monstratum, ipsam disquisitionem ethicam proprie inchoare potest, sed alio potius theoretico principio hic opus est, ex quo notio summi boni theoretice evolvatur et

explicetur ita, ut id quod in initio disputationis tanquam de medio depromptum tantum praesumitur, in fine eius vere cognitum ac perspectum habeamus.

Iam vero nil fere aliud ethices fundamentum esse potest nisi ipsa hominis natura in eam partem concepta quatenus homo singulari quadam agendi facultate a ceteris animantibus omnibus differt, vel potius ipsa notio actionis humanae. Ad hocce alterum, ut ita dicam, initium, disciplinae nostrae vere proprium, progrediuntur Nicomachea in libri primi capite sexto, ubi agendi illa ratio verbis: *ψυχῆς ἐνέργεια κατὰ λόγον* definitur, quae *ἐνέργεια*, si perfecte (*εὖ καὶ καλῶς*) exercetur, virtus nominatur. Perfectissima enim *ἐνέργεια κατὰ λόγον* Aristoteli est *ἐνέργεια κατ'ἀρετήν*. Quae sequuntur, id in quo summa totius disputationis versatur, in transitu quodammodo praemonstrant: eandem illam *ἐνέργειαν κατ'ἀρετήν*, quae habitum optimum efficiat animi humani, non solam quidem summi boni locum explere, sed validissimum tamen beatitudinis momentum continere, dummodo iis rebus non simus orbati quae ad vitae necessitates et ornamenta pertineant. Adumbratis ita totius disquisitionis lineamentis, plenior rei ipsius explicatio incipit a notione virtutis. Ut in animo ipso, quatenus agendi principium continet, duas partes distinguit scriptor, quarum altera, ut gubernatrix alteri praeposita, est *μέρος λόγον ἔχον*: altera autem, quae alteri obedire debeat, *ἄλογον μέρος λόγου πῃ μετέχον* vel *ἐπιθυμητικὸν καὶ ὀρεκτικὸν μέρος* nominatur: ita virtutum quoque genera sunt duo, quae nominat *ἠθικὰς* et *διανοητικὰς ἀρετάς*. Tum nonnullis de diversa natura et origine utriusque virtutum generis additis, prima virtutis definitio apparet haec: (Nic. *β* 4.) *ἕξις ἀφ'ἧς ἀγαθὸς ἄνθρωπος γίνεται καὶ ἀφ'ἧς εὖ τὸ ἑαυτοῦ ἔργον ἀπο-*

φώσει, quod ut accuratius explicet, primum ad virtutem moralem seorsum considerandam progreditur. Virtus autem moralis in animi motionibus et in rebus gerendis versatur (est περὶ πάθη καὶ πράξεις). Μέρος illud ὀρεκτικόν, quod hisce functionibus praeest, a iusta ratione aberrat si in functione sua aut infra certum quendam modum consistit aut eundem excedit. Est igitur τὸ μέσον αἱρεῖσθαι conditio unica e qua salus omnis hisce in rebus pendet. Peccandi autem in unaquaque re ratio duplex est, altera per ἔλλειψιν, altera per ὑπερβολήν, quae, ut sibi ipsae inter se oppositae, ita ambae pari modo iustae rationi contrariae sunt. Virtus autem in re unaquaque non solum ipsa est μεσότης quaedam (μεσότης δύο κακιῶν) sed etiam id quod ea in rebus omnibus spectat nil nisi idem illud μέσον est (στοχαστική γε οὖσα τοῦ μέσου). Quum vero secundum primam illam definitionem virtutes nil nisi habitum bonum animi eiusque operum efficiant, μέσον illud cum ipsa notione boni, siquidem haec vox in sensum moralem accipitur, plane congruum esse videtur, ita ut ad ipsam hanc notionem explicandam inserviat. Patet praeterea ex locis compluribus,[12]) vocem τὸ μέσον prorsus idem atque illud δέον significare. Revera sola voce τὸ δέον id plene ac perfecte exprimitur quod Aristoteles vocabulo μέσον intelligi vult; neque enim illud μέσον id significat quod inter duas, ut ita dicam, extremitates certas et definitas medium sit ideoque ex his ipsis finibus cognosci queat; sunt potius extrema illa notiones rela-

12) Vide quae leguntur Nic β, 5: τὸ δὲ ὅτε δεῖ καὶ ἐφ' οἷς καὶ πρὸς οὓς καὶ οὗ ἕνεκα καὶ ὡς δεῖ, μέσον τε καὶ ἄριστον.— porro Nic β, 6: καὶ ἔτι τῷ τὰς μὲν ἐλλείπειν τὰς δὲ ὑπερβάλλειν τοῦ δέοντος ἔν τε τοῖς πάθεσι καὶ ταῖς πράξεσι, τὴν δ' ἀρετὴν τὸ μέσον καὶ εὑρίσκειν καὶ αἱρεῖσθαι.

tivae, quae quid sibi velint definiri nequit, nisi id quod esse debet (τὸ δέον) iam cognitum habemus; nam, quid iusto vel debito maius minusve sit, tum demum intelliges si ex certa aliqua norma, quidnam iustum ac debitum sit, diiudicare poteris. Itaque iam gravissima illa quaestio existit quae est de regula ad quam cognosci queat, quid in quaque re illud δέον sit.

Cui quaestioni primo loco ita respondetur: ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειεν, deinde ita: ὡς ὁ ὀρθὸς λόγος προστάξῃ, quod utrumque ideo idem fere est, quod is tantum φρόνιμος nominatur quem in rebus gerendis ipse ille ὀρθὸς λόγος regit.

Iam primum hic dixerit aliquis, inde ab initio iam notum fuisse, ἐνέργειαν illam κατὰ λόγον eam agendi rationem esse ad quam homines nati sint, virtutem autem eam esse animi conditionem qua quis vitam ita degat ut naturae illi vere humanae semper consentanea sit. Atqui, quoniam a prima iam disputatione cognitum habemus, id tantum effici virtute humana, ut perfectissime κατὰ λόγον agamus, iam res eodem fere reducta esse videtur unde progressa est, si postea, ubi certa aliqua cum virtute agendi norma constituenda erat, nil nisi hoc invenimus: ὡς ὁ ὀρθὸς λόγος προστάξῃ. Ne hoc quidem e tali praescripto intelligitur, quinam finis (σκοπός) ille sit ad quem vir bonus totam vitam suam dirigat[13]) quemque respiciens ipse ille ὀρθὸς λόγος in re unaquaque praescribat, quid sit agendum seu, quid sit illud δέον.[14])

---

13) Haudquaquam enim ille λόγος, id quod Eudemus saepissime inculcat, finem, quem actionibus appetere debeamus, sed viam tantum ac rationem, qua propositum consequamur, praescribit.

14) Eam rem dico, quam locus Eud β, 5 ita exprimit: πρὸς τίνα δεῖ ὅρον ἀποβλέποντας λέγειν τὸ μέσον, ac tum locus con-

Ut verbo dicam, desideramus summam aliquam legem moralem, quam ubi demonstratum iri exspectas, ad eam animi facultatem cui huius legis custodia commissa est (sc. λόγον) relegaris. Postea quidem, ubi singulae virtutes morales tractantur, regulae practicae nonnullae hic illic inspersae defectum illum, ad vitae usum quod attinet, quodammodo compensare videntur; neque tamen eo minus theoria ipsa manca remanet, ideoque iis qui contra disputent facillimum aditum praebet. Is igitur defectus sectatorem Aristotelis aliquem allicere potuit ut ingenii sui periculum in eo resarciendo faceret; atque quum tale vitium, quod ei quidem non levis momenti videbatur, deprehendisset, facile ex sectatore fieri poterat aemulator, ita ut novis quodammodo ethicis conscribendis (quamquam maxima ex parte nil nisi doctrinam Aristoteleam repetiit) partim corrigere partim accuratius explicare sibi proponeret quae in Nicomacheis vel falsa vel manca reperisset.

Quamvis enim paene timide Eudemus plurimis locis sententias Aristoteleas impugnet, tamen fugere neminem potest, cum in aliis, tum maxime in eo quod modo diximus, corrigere eum voluisse Nicomachea, ab initio quidem non adversarii sed interpretis potius persona assumta. Quodsi ea quae apud Eudemum disperse ac diffuse dicta inveniuntur, unum sub aspectum subiicis, haec fere eius sententia est:

Illud μέσον αἱρεῖσθαι ad notionem actionis moralis determinandam ideo haudquaquam sufficit, quod in ce-

---

troversi libri Eud ε Nic ζ cap. 1 ita: ἔστι τις σκοπὸς πρὸς ὃν ἀποβλέπων ὁ τὸν λόγον ἔχων ἐπιτείνει καὶ ἀνίησιν, καί τις ἔστιν ὅρος τῶν μεσοτήτων, κτλ.

teris quoque actionibus omnibus quae minime sane pertinent ad moralitatem, dummodo ad finem aliquem, qualiscunque sit, spectent, ea agendi ratio quae ad propositum assequendum idonea sit, iisdem verbis definienda est (*ὅτι οὔτε πλείω οὔτε ἐλάττω δεῖ πονεῖν οὐδὲ ῥαθυμεῖν, ἀλλὰ τὰ μέσα καὶ ὡς ὁ ὀρθὸς λόγος*), ita ut ex Aristotelea illa definitione unaquaeque actio quae modo non abhorreat a dexteritate, iam moraliter bona nominanda sit. Eadem enim regula illa, iusto nec plus nec minus esse faciendum, in rebus omnibus valet, etiamsi propositum quod persequaris a moralitate prorsus alienum est. Porro ad unumquodque negotium gerendum certa quaedam rei intelligentia (ut ita dicam, *λόγος* quidam particularis) requiritur, quae nos doceat quid nimium quidque parum sit, ut e. g. in medico est *λόγος* quidam *ἰατρικῆς*; itaque hac quoque ratione res haudquaquam satis arcte circumscripta esse videtur, quod ex locutione vaga illa et nimis ampla (*ὀρδὸς λόγος*)parum intelligatur qualis certus ille *λόγος* sit, qui regat actiones m o r a l e s. De moralitate autem actionum humanarum tum demum recte iudicari potest, si scopum (*σκοπόν*) illum respicis ad quem consilia hominis tendant; itaque id potissimum agitur in theoria morali ut summus aliquis *σκοπὸς* certo sub nomine constituatur,[15]) ad quem actiones omnes, quatenus morales esse velint, intentae esse debeant, quemque ubique ille *ὀρθὸς λόγος* (ut sit *λόγος* vere moralis) ita

15) Infra quidem, ubi singulae virtutes describuntur, identidem Aristoteles, in iudicanda actionum moralitate prae ceteris studium honesti seu animi impetum ad illud *καλὸν* respiciendum esse declarat; in parte tamen generali commentationis suae de virtutibus hac notione non ita utitur, ut ad determinandam notionem moralitatis necessaria esse videatur.

debeat oculis, ut ita dicam, tenere, ut in re unaquaque eo metiri possit quid faciendum sit.

Id igitur quod in theoria Aristotelea Eudemus desiderat, nil aliud est nisi summa aliqua norma moralitatis, ad quam singulae actiones morales omnes dirigendae sint. Si enim non definitur, quinam finis moralitatis proprius et peculiaris sit, revera illud μέσον αἱρεῖσθαι summa quaedam lex prudentiae potius, quae amplissima verbi vi sic dicitur, quam moralitatis est. Nam etsi locutio illa: ὀρθὸς λόγος nil nisi certum quendam λόγον moralem significare vult, tamen in ceteris quoque rebus omnibus certam aliquam agendi rationem eatenus eodem nomine iustam (ὀρθόν) nominare potes, quatenus revera eius praescripta ad rem, qualiscunque est, optime peretrandam nos deducunt, sicut e. g. λόγος ille ἰατρικῆς quem nominat Eudemus, nonnisi apud medicum artis suae peritum est ὀρθὸς λόγος ἰατρικῆς.

Praeterea illud μέρος λόγον ἔχον inde a principio partem animi gubernatricem significabat, illud μέρος ἄλογον autem alteram priori illi subiectam; itaque iam priusquam ad notionem μεσότητος disputatio progressa est, liquebat, tum demum illud ἄλογον μέρος munere suo bene fungi, quum praescriptis partis alterius obsequatur. Illo λόγος autem non sua ipsius causa dominatur, sed altiori potius principio, quod respicere debet, inservit: pariter ut artis medicae praescripta sanitatis causa servantur. (Eud η, 15). Ut autem λόγος ille, qui dici potest moralis, vere ὀρθὸς sit, pro principio legislationis suae (σκοπὸς πρὸς ὃν ἀποβλέπων ὁ τὸν λόγον ἔχων ἐπιτείνει καὶ ἀνίησιν[16]) seu illud, οὗ ἕνεκα ἡ φρόνησις ἐπιτάττει),[17]) Eu-

16) Eud ε. Nic ζ, cap. 1.
17) Eud η, 15.

demum si audis, aeternam praestantiam numinis supremi sumat eamque semper respiciat necesse est. Scopus igitur ille quem Eudemus desiderat, hic est, ut ad cultum et contemplationem numinis supremi (*τὸν θεὸν θεραπεύειν καὶ θεωρεῖν*) animos convertamus, id quod summo in cacumine perfectionis humanae, in illa *καλοκἀγαθίᾳ*, plene ac perfecte exsequimur.

Haec fere ea sunt quae ad Aristoteleum illum *ὀρθὸν λόγον* pertinentia apud Eudemum reperiuntur. Quae ut ex locis partim controversis partim non addubitatis Eudemiorum demonstremus, ab hisce nobis incipiendum est.

In libro *α* Eudemiorum, ubi ostenditur quo modo aliorum sententiae huic disputationi adhibendae sint, haec legimus: cap. 6. 1216, b. 32: *ἐκ γὰρ τῶν ἀληθῶς μὲν λεγομένων οὐ σαφῶς δέ, προϊοῦσιν ἔσται καὶ τὸ σαφῶς, μεταλαμβάνουσιν ἀεὶ τὰ γνωριμώτερα τῶν εἰωθότων συγκεχυμένως λέγεσθαι.* Eadem haec ratio, quam nusquam in Nicomacheis invenis, haud raro postea in Eudemiis reperitur, ita ut illa formula: *τοῦτ' ἀληθὲς μὲν οὐ σαφὲς δὲ* saepius repetatur, plerumque, quod video, ad Nicomacheorum unam alteramve sententiam applicata, quae Eudemo corrigenda videtur.[18]) Bis certe reprehensio vocis Aristoteleae: *ὀρθὸς λόγος* istis verbis quodammodo mitigata introducitur. Quoniam autem alter tantum horum

18) Praeter illos enim locos duo qui paullo post afferentur legimus Eud *α*. 7. 1217. a. 18: *πεπροοιμιασμένων δὲ καὶ τούτων, λέχωμεν ἀρξάμενοι πρώτον ἀπὸ τῶν πρώτων, ὥσπερ εἴρηται, οὐ σαφῶς λεγομένων ζητοῦντες ἐπὶ τὸ σαφῶς εἰρεῖν τί ἐστιν ἡ εὐδαιμονία κτλ.* tum *β*, 2. 1220. a. 15: *δεῖ δὴ ζητεῖν ὥσπερ ἐν τοῖς ἄλλοις ἔχοντές τι ζητοῦσι πάντες, ὥστε δεῖ διὰ τῶν ἀληθῶς μὲν λεγομένων οὐ σαφῶς δὲ πειρᾶσθαι λαβεῖν καὶ τὸ ἀληθῶς καὶ τὸ σαφῶς. κτλ.*

locorum in indubitata Eudemiorum parte (Eud η) legitur, alter autem in controverso libro Eud ε Nic ζ, priorem illum prius inspiciamus oportet. Legimus autem Eud η, 15. 1249. b. 3: ἐν μὲν οὖν τοῖς πρότερον ἐλέχθη τὸ ὡς ὁλόγος· τοῦτο δ'ἐστὶν ὥσπερ ἂν εἴ τις ἐν τοῖς περὶ τὴν τροφὴν εἴπειεν ὡς ἡ ἰατρικὴ καὶ ὁ λόγος ταύτης. τοῦτο δ' ἀληθὲς μὲν οὐ σαφὲς δέ. δεῖ δὴ ὥσπερ καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις πρὸς τὸ ἄρχον ζῆν καὶ πρὸς τὴν ἕξιν κατὰ τὴν ἐνέργειαν τὴν τοῦ ἄρχοντος, οἷον δοῦλον πρὸς δεσπότου, καὶ ἕκαστον πρὸς τὴν ἑκάστου καθήκουσαν ἀρχήν. ἐπεὶ δὲ καὶ ἄνθρωπος φύσει συνέστηκεν ἐξ ἄρχοντος καὶ ἀρχομένου, καὶ ἕκαστον δὴ δέοι πρὸς τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν ζῆν. αὕτη δὲ διττή. ἄλλως γὰρ ἡ ἰατρικὴ ἀρχὴ καὶ ἄλλως ἡ ὑγίεια. ταύτης δὲ ἕνεκα ἐκείνη. οὕτω δὲ ἔχει κατὰ τὸ θεωρητικόν. οὐ γὰρ ἐπιτακτικῶς ἄρχων ὁ θεός, ἀλλ' οὗ ἕνεκα ἡ φρόνησις ἐπιτάττει. διττὸν δὲ τὸ οὗ ἕνεκα· διώρισται δ' ἐν ἄλλοις, ἐπεὶ ἐκεῖνός γε οὐδενὸς δεῖται· ἥτις οὖν αἵρεσις καὶ κτῆσις τῶν φύσει ἀγαθῶν ποιήσει τὴν τοῦ θεοῦ μάλιστα θεωρίαν, ἢ σώματος ἢ φίλων ἢ χρημάτων ἢ τῶν ἄλλων ἀγαθῶν, αὕτη ἀρίστη, καὶ οὗτος ὁ ὅρος κάλλιστος. ἥτις δὲ ἢ δι' ἔνδειαν ἢ δι' ὑπερβολὴν κωλύει τὸν θεὸν θεραπεύειν καὶ θεωρεῖν, αὕτη δὲ φαύλη.

Hisce Eudemus ὀρθὸν λόγον illum Aristotelis nil esse nisi inanem verborum circuitum aperte declarat; si enim statim ab initio ex differentia imperandi et parendi duas animi partes distinguis, iam ubi demonstrandum est, quaenam sit lex illa quam altera alteri imponat, rem ita absolvere nequis ut iterum dicas, alteram servare debere alterius praecepta. In hoc ipso enim rei summa versatur, ut cognoscamus, quid potissimum praescribat haec altera pars. Ad quod assequendum primus veluti gradus est, ut iubeatur τὸ μέσον αἱρεῖσθαι, si autem secundo loco

quaeritur, qua norma illud *μέσον* metiendum sit, responso isto: *ὡς ὁ ὀρθὸς λόγος προστάξῃ* non tam novum aliquem gradum facere quam potius priorem illum referre videmur, ita ut eo revertamur unde profecti sumus.

Itaque verbis illis praeceptum Aristoteleum haud sane leniter reprehenditur, nec dubium est, verba: *τοῦτο δ' ἀληθὲς μὲν οὐ σαφὲς δὲ* nil nisi formulam modestam esse quam reverentia quaedam praeceptoris scriptori subministrat, id quod in loco altero meminerimus oportet.

Quae in altera loci allati parte leguntur,[19]) eo sine dubio spectant, ut summa aliqua lex moralis constituatur (quam servare summae cuidam virtuti propositum est), qualem nusquam praebent ethica Nicomachea. Ex illa sententia enim qua auctor bona omnia, qualiacunque sunt, eatenus tantum vere bona esse iudicat quatenus summo illi dei colendi atque contemplandi consilio inserviant, ita ut ex hac sola norma rerum omnium aestimatio pendeat:[20]) ex hac, dico, sententia apertissimum est,

---

19) Simul haec diligenter consideres quae locum modo allatum proxime sequuntur 1249. b. 23: *τίς μὲν οὖν ὅρος τῆς καλοκἀγαθίας, καὶ τίς ὁ σκοπὸς τῶν ἁπλῶς ἀγαθῶν, ἔστω εἰρημένον.* praetera conferas 1249. a. 16 *ἔσιν οὖν καλοκἀγαθία ἀρετὴ τέλειος*, tum 1248. b. 8: *Κατὰ μέρος μὲν οὖν περὶ ἑκάστης ἀρετῆς εἴρηται πρότερον· ἐπεὶ δὲ χώρις διείλομεν τὴν δύναμιν αὐτῶν, καὶ περὶ τῆς ἀρετῆς διαρθρωτέον τῆς ἐκ τούτων, ἣν ἐκαλοῦμεν ἤδη καλοκἀγαθίαν. ὅτι μὲν οὖν ἀνάγκη τὸν ταύτης ἀληθῶς τευξόμενον προσηγορίας, ἔχειν τὰς κατὰ μέρος ἀρετάς, φανερόν. οὐδὲ γὰρ ἐπὶ τῶν ἄλλων οὐθενὸς οἷόν τ' ἄλλως ἔχειν. οὐθεὶς γὰρ ὅλον μὲν τὸ σῶμα ὑγιαίνει, μέρος δ' οὐθέν, ἀλλ' ἀναγκαῖον πάντα ἢ τὰ πλεῖστα καὶ κυριώτατα τὸν αὐτὸν ἔχειν τρόπον τῷ ὅλῳ.*

20) Prae ceteris respicias loci quem supra ex Eud *η*, 15 attulimus verba ab: *ἄλλως γὰρ* .... usque ad *οὐδενὸς δεῖται.*

actiones humanas omnino tum demum vere morales habendas esse, si (quales sunt apud Eudemum illae *καλαὶ πράξεις τοῦ καλοῦκἀγαθοῦ*) in iis relatio illa ad numen supremum ceteris rationibus atque consiliis omnibus anteposita apparet. Hicce enim terminus est *ὅρος* (*κάλλιστος*) ille quem locus Eud *β*. 5 iam promisit; legimus 1222, b. 7: *τίς δ'ὁ ὀρθὸς λόγος καὶ πρὸς τίνα δεῖ ὅρον ἀποβλέποντας λέγειν τὸ μέσον, ὕστερον ἐπισκεπτέον.*[21])

---

21) Collationis eius causa quam inter summas Nicomacheorum et Eudemiorum sententias infra instituere nobis propositum est, hoc iam loco, occasione a verbis loci Eud *η*, 15 data, haec mihi commemorare liceat: Ex parte posteriori capitis Eud *η*, 15 (adhibitis simul locis 1249. a. 16 et 1248. b. 8—16) intelligitur, *σκοπὸν* illum quem Eudemus ad supplendam definitionem Aristoteleam necessario nominatim adiungendum esse affirmat, simul ab eo pro obiecto summae cuiusdam virtutis (*καλοκἀγαθίας*) haberi, quae omnem plane praestantiam animi humani tam moralem quam intellectualem comprehendat. (vid. annot. 19.) Determinationem (*ὅρον*) enim quam in loco allato ad corrigendum Aristoteleum illum *ὀρθὸν λόγον* proposuit, quaeque *τὸν θεὸν* appellat *ἀρχὴν* illam quam in regenda moralitate semper respiciendam habeat ille *λόγος* (v. 1249. b. 11—15), infra nominat *ὅρον καλοκἀγαθίας*. Simul vides, finem extremum contentionis humanae haudquaquam eundem ab Eudemo atque ab Aristotele poni. Quamquam in verbis illis: *τὸν θεὸν θεραπεύειν καὶ θεωρεῖν*, quae summum propositum virtutis *καλοκἀγαθίας* significant, ob vocem *θεωρεῖν* putare possis Eudemia eundem fere totius disquisitionis eventum ac Nicomachea praebere, tamen procul dubio Eudemus hac voce (*θεωρεῖν*) in definienda virtute illa quam nominat omnium summam, speciem tantum similitudinis quandam cum Aristotelea summa virtute (*σοφίᾳ*) servare voluit. Reapse autem ethica Eudemia, quamquam primo aspectu correctio illa ad nil nisi notionem moralem in ethicis Nicomacheis perperam

Sed ut iam revertar ad propositum: alter ille locus Eudemiorum (Eud ε, 1. Nic. ζ, 1) quem supra diximus si-

---

expositam pertinere videtur, in summo totius disquisitionis eventu in sententiam abeunt a Nicomacheis plane alienam. Ex Nicomacheorum enim sententia homo bonis omnibus et animi et corporis et externis, quoad hisce opus est, instructus sibi ipse plane sufficit (est *αὐτάρκης*), ita ut Aristoteles in quaestione de beatitudine humana ne attingat quidem apertam quandam hominis relationem ad numen supremum. Inde autem, quod ex sententia Eudemi virtutes omnes et bona corporis et externa omnia (*ἥτις οὖν αἵρεσις καὶ κτῆσις τῶν φύσει ἀγαθῶν, ἢ σώματος ἢ χρημάτων ἢ φίλων ἢ τῶν ἄλλων ἀγαθῶν κτλ.*; illa *ἄλλα* nimirum bona sunt interna, i. e. singulae virtutes morales et intellectuales) unice ex adiumento aestimanda sunt quod ad summum illum finem contentionis humanae, scilicet ad cultum et contemplationem numinis supremi, afferant, — Eudemi rationem ab Aristotelea maxime diversam esse patet. Virtus illa quam Eudemus *ἀρετὴν τέλειον* nominat (*καλοκἀγαθίαν* dico), unica est virtus universa quae omnes singulas utriusque generis virtutes continet; ut autem virtus omnis in ea una apparet: ita id quoque quod eius obiectum esse ponitur, necessario functiones utriusque animi partis unum in munus coniungit, unde fit ut in notione virtutis *καλοκἀγαθίας* apud Eudemum summum moralitatis officium et summum intelligentiae studium in rem unam eandemque conveniunt (*τὸν θεὸν θεραπεύειν καὶ θεωρεῖν*). Apud Aristotelem virtus illa quam in cacumine praestantiae humanae ponit, diversae omnino est naturae; ut enim iam de principio in Nicomacheis eo maxime scriptorem inclinare vides, ut virtutem moralem ob minorem eius dignitatem longe postponat virtuti intellectuali: ita in fine quoque operis eadem ratione in sola *σοφίᾳ*, virtute pure ac summe intellectuali, summam beatitudinem (*τέλειον εὐδαιμονίαν*) positam esse docet, ac simul huic virtuti nil plane cum virtutibus moralibus commune esse identidem atque aperte declarat. Virtus summa quae est apud Eudemum

milem censuram Aristotelei ὀρθοῦ λόγου exhibere, cum eo quem modo ex Eud η, 15 ascripsimus comparandus erit; ideo enim diligentiori consideratione dignissimus esse videtur, quod non solum ad rem eandem iam spectat quam in Eud η, 15 scriptor exsequitur, sed praeterea cum loco ex Eud β, 5 allato maximam habet similitudinem, eandemque illam formulam (ἀληθὲς μὲν οὐθὲν δὲ

(καλοκἀγαθία) maxima ex parte procul dubio virtutum moralium naturam habet; ex sententia Eudemi enim multa egregie ac pulchre facta (πολλαὶ καὶ καλαὶ πράξεις) necessario requiruntur ad efficiendam vitam beatam, quam prae ceteris tribuit viro καλῷ κἀγαθῷ. Aristoteles contra in laudanda vita beata philosophi id maxime urget, quod apparatu externo (quo virtutes illae quae in rebus gerendis versentur carere omnino nequeant) ad exercendam summam virtutem nullo paene egeat (Nic κ, 7. 1177. a. 28—34 et κ, 8. 1178. a. 25 — b. 5.) Ex hac duorum operum differentia quae ex aliis etiam et manifestissimis indiciis perspicitur, procul dubio apparet, Eudemum parti morali virtutis humanae vim et auctoritatem maiorem tribuere voluisse quam quae ei ab Aristotele tributa erat; quae res haud parvi mihi momenti esse videtur ad explicandam miram illam formam libri Nic ζ Eud ε, in quo hac maxime de causa virtutes ingenii velut in transitu tantum tractatae esse videntur, quod auctoris longe plus interfuit ut lectorem via quam brevissima ad virtutem moralem denuo alia ratione considerandam reduceret; praeterea autem id praecipue notatu dignum est, quod moralitatis notio ad quam tum perducimur (ἀρετὴ κυρία) in libro Nic η, in mixto quodam genere virtutis consistit, quod virtutem moralem et intellectualem ita coniunctas continet, ut iam dubitare nequeas, καλοκἀγαθίαν illam de qua Eudemus in capite ultimo libri Eud η agit, nil nisi summam huius generis virtutem esse, atque ideo probe cognoscas, iam in libro ε Eudemum eo tetendisse quo in fine operis lectorem adducit.

σαφές) continet, quam in Eud α. 6 et α. 7 (vide annot. 18) et β, 2 et η, 15 redire supra monstravimus, quaeque in Nicomacheis nusquam alibi inveniuntur; quibus de causis hicce locus haud exiguam mihi vim habere videtur ad confirmandam sententiam quam supra prodidi de libro in quo legitur.

Locum dico Eud ε, 1 (seu Nic ζ, 1) 1138. b. 21: ἐν πάσαις γὰρ ταῖς εἰρημέναις ἕξεσι καθάπερ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων, ἐστί τις σκοπὸς πρὸς ὃν ἀποβλέπων ὁ τὸν λόγον ἔχων ἐπιτείνει καὶ ἀνίησιν, καί τις ἔστιν ὅρος τῶν μεσοτήτων, ἃς μεταξύ φαμεν εἶναι τῆς ὑπερβολῆς καὶ τῆς ἐλλείψεως, οὔσας κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον. ἔστι δὲ τὸ μὲν εἰπεῖν οὕτως ἀληθὲς μὲν οὐθὲν δὲ σαφές κτλ. (Praeter haec legas ibidem 37—34.)

Hic iam prae ceteris quaerimus: ubinam in sequentibus Nicomacheorum partibus σκοπὸς ille quem hic commemorat scriptor, quemque ut gravissimum supplementum ad complendam definitionem notionis moralis necessario requirimus,[22]) monstratur, sicut Eudemia eum (η, 15) exponunt? Praeterea nusquam antea in Nicomacheis conceditur, ad absolvendam rei determinationem necesse esse ut praeter illum ὀρθὸν λόγον insuper σκοπὸς aliquis πρὸς ὃν κτλ. nominatim constituatur; id quod vel ideo fieri non potuit, quod apud Aristotelem inter singula illa quae determinationem notionis μεσότητος efficiunt, (τὸ δὲ ὅτε δεῖ καὶ ἐφ οἷς καὶ πρὸς οὓς καὶ οὗ ἕνεκα καὶ ὡς δεῖ) illud οὗ ἕνεκα quoque enumeratur,

22) In ethicis Eudemiis ipse ille σκοπὸς qui in capite η, 15 exponitur, ὅρον eum praebet quem verba loci modo allati ad complendam definitionem Aristoteleam necessario constituendum esse declarant.

quod cum notionibus τέλος et σκοπὸς plane congruum esse ex aliis demonstrationibus liquet. In ethicis Eudemiis, ubi notio μεσότητος exponitur (β, 3) nulla omnino notionis οὗ ἕνεκα, quae notione μεσότητος contineatur, fit mentio; (inspicias hos potissimum locos: β, 3. 1221. a. 15—20 et b. 9—12) praeterea scriptor, ubi primum illum ὀρθὸν λόγον attingit, (vide supra Eud β, 5. 1222. b. 7) statim ab initio confitetur, alia etiam notione postea exponenda opus esse, qua moralitatis definitio consummetur. Locus Nicomacheorum (β, 2. 1103. b. 31.) qui ordine suo respondet illi Eudemiorum β, 5, nullo verbo talem ὅρον postea supplendum commemorat, sed id tantum promittit, infra demonstratum iri, qui sit ille ὀρθὸς λόγος, et quaenam ratio inter eum et virtutes reliquas intercedat. Quae cum ita sint, equidem existimo notionem illam scopi cuiusdam, ad absolvendam notionem virtutis moralis necessarii, Eudemi esse inventum; quam sententiam meam verba qnae in loco allato Eud ε, 1 leguntur: ἔστι δὲ τὸ μὲν εἰπεῖν οὕτως ἀληθὲς μὲν οὐθὲν δὲ σαφές, magis etiam confirmant. Nam ut id omittam quod supra commemoravi: eandem formulam in Eudemiis et antea et postea saepius, in Nicomacheis nusquam reverti: iam quaerimus, quinam fieri potuerit ut Aristoteles definitionem illam moralitatis quam antea ut sufficientem ipse proposuerat, postea sponte ac voluntate eum in modum carperet, quo in verbis sequentibus usque ad libri Eud ε (Nic ζ) finem id fieri videmus. Quae enim statim post verba: οὐθὲν δὲ σαφὲς leguntur, adeo non meram sententiae Aristoteleae explicationem sed apertissimam potius insectationem continent, ut hoc quoque loco (similiter atque in Eud η, 15) facillime intelligatur, verba illa ἀληθὲς μὲν κτλ. nil nisi modesti adver-

sarii formulam esse. Non solum enim legimus: *καὶ γὰρ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπιμελείαις περὶ ὅσας ἐστὶν ἐπιστήμη, τοῦτ' ἀληθὲς μὲν εἰπεῖν, ὅτι οὔτε πλείω οὔτε ἐλλάττω δεῖ πονεῖν οὐδὲ ῥαθυμεῖν, ἀλλὰ τὰ μέσα καὶ ὡς ὁ ὀρθὸς λόγος,* sed verbis quae tum sequuntur, definitio illa in ludibrium fere vertitur: *τοῦτο δὲ μόνον ἔχων ἄν τις οὐθὲν ἂν εἰδείη πλέον οἷον ποῖα δεῖ προσφέρεσθαι πρὸς τὸ σῶμα, εἴ τις εἴπειεν ὅτι ὅσα ἡ ἰατρικὴ κελεύει καὶ ὡς ὁ ταύτην ἔχων.* Ut idem iterum repetam, nequaquam mihi credibile esse videtur, Aristotelem sua ipsius verba ita perstringere potuisse; idque eo minus, quod supplementum illud, quo ex sententia loci nostri definitio ista nullo modo carere posse videtur, nusquam postea in Nicomacheis sed in Eudemiis potius reperitur. Quare nil mihi reliquum esse videtur nisi ut locum de quo agitur, cum apertissime ad locos Eudemiorum *η*, 15 et *β*, 5 et a, 6 respiciat, Eudemo tribuamus; id quod magis etiam sententiam illam confirmat, quae librum Nic *ζ* seu Eud *ε* omnino ad Eudemia trahit.

Ceterum si libri modo dicti nexus cum opere Eudemi nondum satis patet, aliud insuper argumentum addi potest, quod vel solum rem paene conficere posse videtur.

Notio illa quae in libro controverso Eud *ε* *ἀρετη κυρία* nominatur, constare non potest nisi alia quaedam notio adiicitur, quam Aristoteles, id quod ex apertissimis eius verbis patet, admittere nullo pacto potuit. Sunt enim oppositae in Eud *ε* Nic *ζ* notiones *ἀρετῆς κυρίας* et *ἀρετῆς φυσικῆς,* quam alteram certe Aristoteles compluribus locis Nicomacheorum omnino nullam esse docet. In libro modo dicto legimus cap. 13. 1144. b. 1: *σκεπτέον δὲ πάλιν περὶ ἀρετῆς, καὶ γὰρ ἡ ἀρετὴ παραπλησίως*

ἔχει ὡς ἡ φρόνησις πρὸς τὴν δεινότητα· οὐ τ᾽αὐτὸν μέν, ὅμοιον δὲ· οὕτω καὶ ἡ φυσικὴ ἀρετὴ πρὸς τὴν κυρίαν. Liquet per se, post vocem ἀρετὴ supplendum hoc loco esse ἠθική; statim enim scriptor rem planius exponit ita: πᾶσι γὰρ δοκεῖ ἕκαστα τῶν ἠθῶν ὑπάρχειν φύσει πως· καὶ γὰρ δίκαιοι καὶ σωφρονικοὶ καὶ ἀνδρεῖοι καὶ τ᾽ ἄλλα ἔχομεν εὐθὺς ἐκ γενετῆς· ἀλλ᾽ ὅμως ζητοῦμεν ἕτερόν τι κυρίως ἀγαθὸν καὶ τοιαῦτα ἄλλον τρόπον ὑπάρχειν. κτλ.

Eodem loco postea aperte declaratur 1144. b. 14: ὥστε καθάπερ ἐπὶ τοῦ δοξαστικοῦ δύο ἐστὶν εἴδη, δεινότης καὶ φρόνησις, οὕτω καὶ ἐπὶ τοῦ ἠθικοῦ δύο ἐστί, τὸ μὲν ἀρετὴ φυσική, τὸ δ᾽ ἡ κυρία, καὶ τούτων ἡ κυρία οὐ γίνεται ἄνευ φρονήσεως.[23])

Iamvero apud Aristotelem legimus in libro Nic β cap. 1. 1103. 18. ἐξ οὗ καὶ δῆλον ὅτι οὐδεμία τῶν ἠθικῶν ἀρετῶν φύσει ἡμῖν ἐγγίνεται. οὐθὲν γὰρ τῶν φύσει ὄντων ἄλλως ἐθίζεται, οἷον ὁ λίθος φύσει κάτω φερόμενος κτλ. ibidem a. 23: οὔτ᾽ ἄρα φύσει οὔτε παρὰ φύσιν ἐγγίνονται αἱ ἀρεταί, ἀλλὰ πεφυκόσι μὲν ἡμῖν δέξασθαι αὐτάς, τελειουμένοις δὲ διὰ τοῦ ἔθους. denique in eiusdem libri capite 4. 1106. a. 9 καὶ ἔτι δυνατοὶ μὲν ἐσμὲν φύσει, ἀγαθοὶ δὲ ἢ κακοὶ οὐ γινόμεθα φύσει. Unde apertissimum est, nullo pacto fieri potuisse ut Aristoteles statueret aliquam ἀρετὴν φυσικήν, (si eo sensu intelligis hanc vocem, quo verba allata libri controversi eam usurpant) quam auctor

---

23) Quoniam ab altera parte φρόνησις, quae vere ita appellatur, necessario cum virtute morali coniuncta est, (loco enim eodem a. 36 legimus: ὥστε φανερὸν ὅτι ἀδύνατον φρόνιμον εἶναι μὴ ὄντα ἀγαθὸν) vides scriptorem connexum mutuum moralitatis et intelligentiae eundem in virtute proprie sic dicta (in ἀρετῇ κυρίᾳ) statuere, qui infra in virtute καλοκἀγαθίας perfectissimus apparet.

libri Eud. ε Nic. ζ sine ulla dubitatione ponit. Aristoteles nil nisi meram δύναμιν natura nobis insitam esse concedit, simul autem ex insequentibus verbis loci Nic. β, 4 procul dubio liquet, nusquam eum hancce δύναμιν virtutis nomine habiturum fuisse; legimus ibi: εἰ οὖν μήτε πάθη εἰσὶν αἱ ἀρεταὶ μήτε δυνάμεις, λείπεται ἕξεις αὐτὰς εἶναι. praeterea in libro Eud. ε Nic. ζ perspicuum est, scriptorem voce ἀρετῆς φυσικῆς haudquaquam solam δύναμιν ἀρετῆς descripsisse, id quod non solum ex ipsa demonstratione ibi adiuncta (de periculis quae in virtute naturali sint) sed etiam inde maxime intelligitur, quod illae ἀρεταὶ φυσικαὶ aperte ἕξεις nominantur.

Iam vero id, quod ex hisce indiciis iam satis patet, paene certissimum fit, si cum illis ea coniungis quae apud Eudemum in capitibus β, 2 et γ, 7 leguntur. Eo ipso enim loco Eudemiorum qui respondet allato illi loco Nicomacheorum (1103. a. 18), ubi Aristoteles demonstrat, nullam omnino virtutem moralem natura nobis insitam esse posse, Eudemus hanc rem de industria tergiversando praetermittit. Quamquam enim exemplum quoque de lapide illud (οἷον ὁ λίθος φύσει κάτω φερόμενος κτλ) ex Nicomacheis hoc loco repetitum est, tamen id, quod apud Aristotelem hoc exemplo efficitur, apud Eudemum adeo ad nihilum redigitur, ut nulli sane usui ibi sit. Legimus Eud. β, 2. 1220. a. 39: ἐπεὶ δ' ἐστὶ τὸ ἦθος ὥσπερ καὶ τὸ ὄνομα σημαίνει ὅτι ἀπὸ ἔθους ἔχει τὴν ἐπίδοσιν, ἐθίζεται δὲ τὸ ὑπ' ἀγωγῆς μὴ ἐμφύτου τῷ πολλάκις κινεῖσθαι πως, οὕτως ἤδη τὸ ἐνεργητικόν. ὅ ἐν τοῖς ἀψύχοις οὐχ ὁρῶμεν· οὐδὲ γὰρ ἂν μυριάκις ῥίψῃς ἄνω τὸν λίθον, οὐδέποτε ποιήσει τοῦτο μὴ βίᾳ κτλ. Nil videlicet de virtute morali hoc loco dicitur nisi, capere eam incrementum suum ex consuetudine, origo ne attingitur qui-

dem; sententia autem quae inest verbis: ἀπὸ ἔθους ἔχει τὴν ἐπίδοσιν haudquaquam contradicit illi ὑπάρχειν φύσει πως quod legimus in libro Eud ε Nic ζ. Ex sententia Aristotelis virtutes morales omnes ἐξ ἔθους non solum incrementum capiunt, sed etiam oriuntur omnino; exemplum autem illud de lapide in Nic β, 1 eo spectat ut cognoscas, ea quae proprie natura alicui rei insita sint, consuetudine nunquam posse mutari, ideoque virtutes morales omnino innatas esse non posse, cum consuetudin obnoxiae sint. Eudemus contra nec loco allato neque usquam alibi virtutes naturales esse posse negat; verba ἐθίζεται δὲ κτλ nil continent nisi interpretationem vocis ἔθος, cui exemplum illud Aristoteleum de lapide satis laxe adiungitur, quippe quo sententia haec, haud dubie otiosa, illustretur: in rebus inanimis illud ἐθίζειν locum non habere; unde si concludere velis quod ad rem pertineat, ni nisi hoc eveniet: moralitatem nonnisi in animatis esse.

Ex his omnibus satis aperte patet, Eudemum consulto sententiam illam Aristoteleam omisisse; neque equidem video quonam alio consilio id facere potuerit, nisi, ut oppositionem illam notionum ἀρετῆς κυρίας et φυσικῆς sibi servaret, quae maxime ei, ut infra apparebit, cordi esse debuit. Non solum autem in libro Eud. sed etiam alibi Eudemus de virtute naturali agit ita, ut satis bene inde perspiciatur, quid demonstratio illa in libro Eud ε sibi velit. Legimus Eud γ, 7. 1234. a. 25 ταῦτα δὲ πάντ' ἐστὶν ἐν ταῖς τῶν παθημάτων διαιρήσεσιν ἕκαστον γὰρ αὐτῶν πάθος τι ἔστιν. διὰ δὲ τὸ φυσικὰ εἶναι εἰς τὰς φυσικὰς συμβάλλεται ἀρετάς· ἔστι γὰρ, ὥσπερ λεχθήσεται ἐν τοῖς ὕστερον, ἑκάστη πως ἀρετή, καὶ φυσικαὶ ἄλλως μετὰ φρονήσεως.— Necessario huius loci rationem referendam esse ad ea quae postea in libro Eud ε copi-

osius exposita sunt, apertissimum est; inprimis vero ea quae locum ex capite 13 libri Eud ε supra citatum sequuntur, manifesto cum verbis illis ex Eud γ, 7 congruunt; statim enim post verba citata illa: *ἄλλον τρόπον ὑπάρχειν*, legimus: *καὶ γὰρ παισὶ καὶ θηρίοις αἱ φυσικαὶ ὑπάρχουσιν ἕξεις ..... ἐὰν δὲ λάβῃ νοῦν, ἐν τῷ πράττειν διαφέρει. ἡ δ' ἕξις ὅμοια οὖσα τότ' ἔσται κυρίως ἀρετή.* tum paullo infra: *τὸ μὲν ἀρετὴ φυσικὴ τὸ δ' ἡ κυρία, καὶ τούτων ἡ κυρία οὐ γίνεται ἄνευ φρονήσεως.*

Simul ex loco γ, 7 patet, totam seriem virtutum moralium, sicut antea eas Eudemus tractavit, ex huius sententia in numerum virtutum naturalium referri. Ad illud enim: (γ. 7) *εἰς τὰς φυσικὰς συμβάλλεται ἀρετάς*, referendum est id, quod statim insequitur: *ὁ μὲν οὖν φθόνος εἰς ἀδικίαν συμβάλλεται, καὶ ἡ νέμεσις εἰς δικαιοσύνην, ἡ εἰδὼς εἰς σωφροσύνην κτλ.*

Haec omnia iam satis testantur, expositionem illam de virtute naturali (in Eud ε Nic ζ), a sententia Aristotelea prorsus abhorrentem, optime consentire cum peculiari quadam theoria Eudemi. Accedit, quod Eudemus in capite β, 8 proprio Marte de notione illa, quid sit *φύσει* nonnulla quae in Nicomacheis non inveniuntur exponit, eamque notionem ita explicat, ut inde intelligas quo iure postea notionem virtutis naturalis statuere potuerit. Pertinet autem locus, quem dico, a versu 21 usque ad 36 pag. 1224. b. Eiusmodi demonstratio de illo *φύσει* in Nicomacheis non exstat; itaque hic quoque locus sententiae nostrae de loco illo libri controversi Eud ε succurrere videtur.[24])

---

24) Hic alia etiam duorum scriptorum dissensio breviter mihi attigenda est, quae, etsi ad rem haud ita gravem pertinet,

Quodsi igitur haud sane facile fieri potest, ut liber ζ locum suum in Nicomacheis teneat, si praeterea inde

---

tamen haud exiguum adiumentum ad solvendam quaestionem de libro Eud ζ Nic η praebet.

Σωφροσύνη ex sententia Nicomacheorum est *μεσότης περὶ ἡδονὰς καὶ λύπας*. Sed non ad omnes voluptates refertur; excipiuntur enim animi voluptates omnes et inter voluptates corporis eae quae purae nominantur (*αἱ δι' ὄψεως καὶ ὀσφρήσεως* et aliae eiusmodi); itaque *σωφροσύνη* ad eas tantum voluptates pertinet quae in satiandis cupiditatibus naturalibus, ad salutem corporis spectantibus, percipiuntur. Patet, hasce voluptates eas esse quae homini cum animalibus omnibus communes sunt. Nimia huiusmodi voluptatum cupido (*ὑπερβολή*) quatenus modum necessitatis naturalem excedit, *ἀκολασία* vocatur; necessario autem cum nimia illa cupidine id per se coniunctum est, ut dolores qui hisce voluptatibus oppositi sunt, non satis aequo animo ferantur.

Qui certum hoc genus voluptatum atque dolorum respicit, haud dubie assentietur Aristoteli, apertissime neganti, inter vitia humana huiusmodi *ἔλλειψιν* quae ad easdem hasce cupiditates naturales pertineat, reperiri; identidem enim expresse declarat, tale quid (scilicet, delectari aliquem iusto minus necessitatum naturalium expletione) a natura humana prorsus abhorrere. Legimus Nic β, 7. 1107. b. 4: *περὶ ἡδονὰς δὲ καὶ λύπας, οὐ πάσας, ἧττον δὲ καὶ περὶ τὰς λύπας* (quasnam hoc loco intelligi velit, paullo infra exponit) *μεσότης μὲν σωφροσύνη, ὑπερβολὴ δὲ ἀκολασία. ἐλλείποντες δὲ περὶ τὰς ἡδονὰς οὐ πάνυ γίνονται· διόπερ οὐδ' ὀνόματος τετυχήκασιν οὐδ' οἱ τοιοῦτοι, ἔστωσαν δὲ ἀναίσθητοι.* (Postrema haec verba »*ἔστωσαν δὲ ἀναίσθητοι*« procul dubio nil aliud significant nisi hoc: notioni huic in rerum natura nil quidem respondet, sed ad eam significandam hoc iam nomine uti licebit; minime igitur, ut mihi quidem videtur, adiecta haec verba sententiam Aristoteleam dubiam reddunt; verbis enim disertis loco inferiori (γ, 14) Aristoteles rem ean-

abhinc usque ad finem libri Nic η cogitationum seriem

---

dem tractans declarat: οὐ γὰρ ἀνθρωπική ἐστιν ἡ τοιαύτη ἀναισθησία· unde probe intelliges, in loco priori eum nil nisi adminiculum quoddam praestare voluisse lectoribus, quo facilius triplicem illam partitionem qua ubique singulis virtutibus bina vitia opponuntur, reperirent.)—Porro Nic γ, 14. 1119. a. 5: ἐλλείποντες δὲ περὶ τὰς ἡδονὰς καὶ ἧττον ἢ δεῖ χαίροντες οὐ πάνυ γίνονται, οὐ γὰρ ἀνθρωπική ἐστιν ἡ τοιαύτη ἀναισθησία· καὶ γὰρ τὰ λοιπὰ ζῷα διακρίνει τὰ βρώματα, καὶ τοῖς μὲν χαίρει τοῖς δ' οὔ· εἰ δὲ τῷ μηθέν ἐστιν ἡδύ, μηδὲ διαφέρει ἕτερον ἑτέρου, πόρρω ἂν εἴη τοῦ ἄνθρωπος εἶναι· οὐ τέτυχε δ' ὁ τοιοῦτος ὀνόματος διὰ το μὴ πάνυ γίνεσθαι.

Si cum hisce locis contuleris ea quae hac de re apud Eudemum leguntur, facile mihi concedes, sententiam eius haudquaquam eandem esse quam Aristoteles profitetur. Ubique enim ἔλλειψιν (sive per negligentiam quandam sive consulto hoc fecit, perinde est) ita tractat, quasi revera existat tale vitium, quod solummodo propter raritatem suam certo nomine careat. Iam primo statim loco, quo σωφροσύνην attingit (Eud β, 3. 1221. 19) nil prorsus dubitat, ei ἔλλειψιν istam ratione plane eadem, qua ὑπερβολήν, opponere. Aristoteleum illud: οὐ πάνυ γίνεται hac in re ne semel quidem apud Eudemum occurrit. Legimus Eud γ, 2. 1230. b. 13: τοὺς γὰρ ἀκινήτως ἔχοντας πρὸς τὰς αὐτὰς ἡδονὰς οἱ μὲν καλοῦσιν ἀναισθήτους, οἱ δ' ἄλλοις ὀνόμασι τοιούτους προσαγορεύουσιν. ἔστι δ' οὐ πάνυ γνώριμον τὸ πάθος, οὐδ' ἐπιπόλαιον διὰ τὸ πάντας ἐπὶ θ'ἄτερον ἁμαρτάνειν μᾶλλον καὶ πᾶσιν εἶναι σύμφυτον τὴν τῶν τοιούτων ἡδέων ἧτταν καὶ αἴσθησιν. κτλ. In eodem capite 1231. a. 34: ἐπεὶ δ' ἔστιν ὑπερβολὴ καὶ ἔλλειψις περὶ αὐτά, δῆλον ὅτι καὶ μεσότης, καὶ βελτίστη αὕτη ἡ ἕξις, καὶ ἀμφοῖν ἐναντία, ὥστε σωφροσύνη ἡ βελτίστη ἕξις κτλ. Tum 1231. a. 39: ἡ μὲν ὑπερβολὴ ἀκολασία ἡ δ' ἔλλειψις ἤτοι ἀνώνυμος ἢ τοῖς εἰρημένοις ὀνόμασι προσαγορευουμένη. Eud γ. 7 denique, 1234, b. 6: αἱ δ' ἐναντιώσεις οὐ δοκοῦσιν ὑπάρχειν τοῖς

nusquam interruptam invenimus, si simul iustissimas de

ἄκροις πρὸς τὸ μέσον ὁμοίως ἀμφοτέραι, ἀλλ' ὁτὲ μὲν κατ' ὑπερβολήν, ὁτὲ δὲ κατ' ἔλλειψιν. αἴτια δὲ τὰ πρῶτα ῥηθέντα δύο, ὀλιγότης τε, οἷον τῶν πρὸς τὰ ἡδέα ἀναισθήτων, καὶ ὅτι . . . κτλ.

Quodsi ea omnia quae ex veris Nicomacheorum, quaeque ex veris Eudemiorum libris de hac quaestione attulimus, cum iis sententiis confers quae in controverso libro η leguntur, minime sane verisimile tibi videbitur, hunc librum ab auctore Nicomacheorum scriptum esse. Legimus Nic η Eud ζ, 11 initio: ἐπεὶ δ' ἔστι τις καὶ τοιοῦτος οἷος ἧττον ἢ δεῖ τοῖς σωματικοῖς χαίρων (memineris velim, apud Aristotelem in γ, 14 legi: ἧττον ἢ δεῖ χαίροντες οὐ πάνυ γίνονται) καὶ οὐκ ἐμμένων τῷ λόγῳ ᾗ τοιοῦτος, τούτου καὶ τοῦ ἀκρατοῦς μέσος ὁ ἐγκρατής· ὁ μὲν γὰρ ἀκρατὴς οὐκ ἐμμένει τῷ λόγῳ διὰ τὸ μᾶλλόν τι, οὗτος δὲ διὰ τὸ ἧττόν τι, ὁ δ' ἐγκρατὴς ἐμμένει καὶ οὐδὲ δι' ἕτερον μεταβάλλει. δεῖ δέ, εἴπερ ἡ ἐγκράτεια σπουδαῖον, ἀμφοτέρας τὰς ἐναντίας ἕξεις φαύλας εἶναι, ὥσπερ καὶ φαίνονται· ἀλλὰ διὰ τὸ τὴν ἑτέραν ἐν ὀλίγοις καὶ ὀλιγάκις εἶναι φανεράν, ὥσπερ ἡ σωφροσύνη τῇ ἀκολασίᾳ δοκεῖ ἐνάντιον εἶναι μόνον, οὕτω καὶ ἡ ἐγκράτεια τῇ ἀκρασίᾳ. κτλ. (Conferas etiam eiusdem libri cap. 8. 1150. a. 22-23,)

Nullo pacto credibile est, hisce verbis, quae cum Eudemia rei tractandae ratione optime consentiunt, Aristotelem usum esse. Ut statim cognoscas, quaenam certa differentia sit inter ἀκολασίαν et ἀκρασίαν (est autem eadem inter σωφροσύνην et ἐγκράτειαν) paucos tantum versus ultra locum nostrum (usque ad 1152. a. 6) progrediendum est. Quodsi respexeris, illam ἐγκράτειαν et ἀκρασίαν ad easdem voluptates eosdemque dolores pertinere, in quibus virtus σωφροσύνης et vitium ἀκολασίας versantur, (id tantum differunt, quod ἐγκράτεια est μετὰ φρονήσεως, nomen σωφροσύνης autem naturalem tantum hisce in rebus virtutem significat) notio illa ἐλλείψεως quam scriptor, sicut notio ἀκρασίας notioni ἐγκρατείας opponitur, ita ex parte altera huic op-

capitibus Nic η, 12. 13. 14. 15. (περὶ ἡδονῆς) dubitationes reputas: minime sane fieri posse videtur, ut e tribus libris controversis plus quam liber Nic ε (usque ad locum supra significatum) ethicis Nicomacheis vindicetur; simul autem facile concedes, iure optimo nos obniti, ne disquisitio illa de iustitia ad Eudemia locupletanda Nicomacheis detrahatur, quum ne minimum quidem incommodum neque ulla discrepantia impediat quominus liber ille Nicomacheis servetur. Sed etiamsi hoc argumento res nondum plane absolvitur, tamen qui librum Nic ε quoque cum ceteris ad Eudemia trahere velit, ei

---

positam esse vult, absurdissima tibi apparebit; praesertim quum (id quod in veris Nicomacheorum libris vidisti) in eodem opere supra iam denegatum est, talem ἔλλειψιν existere quae illi ἀκολασίᾳ opposita sit. Nam si quis illi ἀκρασίᾳ aliquid opponere vellet, secundum 1151. b. 24 ponere deberet, ἀναίσθητον aliquem generis supra scripti existere posse, qui nimiam suam negligentiam ac pigritiam in perfruendis voluptatibus naturalibus ac necessariis quae ad corporis salutem pertinent, spretis etiam adhortationibus rationis ac prudentiae (καὶ οὐκ ἐμμένων τῷ λόγῳ ᾗ τοιοῦτος) servaret, licet probe sciret, quam nefarium esset, corpori ne necessariam quidem curam impendere. Ex sententia scriptoris autem tale quid non solum animo fingi potest, sed etiam, ut e verbis ἐν ὀλίγοις καὶ ὀλιγάκις liquet, vere fit in rerum natura: id quod ne Eudemus quidem aliter ac temere ac per negligentiam statuere potuit. Attamen apud Eudemum id longe minus mirum est quam apud Aristotelem; ille enim vitio etiam isto quod simpliciter ἀναισθησίαν nominat, veritatem adscribit, vocem eandem ὀλιγότης usurpans (Eud γ, 7), qua Aristoteles hac in re nusquam utitur. Itaque mihi quidem hic quoque locus libri Nic η satis aperte testari videtur, Aristotelem huius libri auctorem non esse.

praeter cetera confusio illa, in extremis huius libri capitibus obvia, ratione simpliciore et probabiliore, quam quae a nobis supra proposita est, erit explicanda.[25])

Iam superest ut argumenta quae Spengelius in partem contrariam attulit, accuratius examinemus; sin autem probaverimus, locos a Spengelio hunc ad finem inter se comparatos nil prorsus sententiae nostrae obstare, tum non dubitabimus, in persequenda duorum operum comparatione eam partium distributionem adhibere, quae ex computatione argumentorum probabilissima videbitur.

Postquam Spengelius (in secunda parte commentationis suae) rationis illius, quam alii antea inierant, infirmitatem monstravit, aliam viam, quam sibi ingrediendam proposuerit, hisce verbis ostendit: p. 53 „Wenn weder die Sprache noch der Inhalt der drei Bücher einen unwiderlegbaren Beweis gibt, und wer entgegengesetzter Ansicht ist, nicht durch das eine, nicht durch das andere belehrt werden wird, so bleibt, um zum Entzweck zu gelangen, nur noch ein Verfahren: zu sehen, ob nicht in dem erhaltenen Theil der Eudemien selbst Spuren sich vorfinden welche zeugen, dass der Inhalt dieser Bücher zwar im Ganzen mit den Nikomachien derselbe, die Ausführung aber wie in andren so auch hier von diesen im einzelnen abweichend gewesen ist. Wenn nähmlich die Nikomachien in dem früheren oder spätern Theile Berufungen auf diese drei Bücher enthalten, und alles diesem gemäss dargestellt ist; die Eudemien gleichfalls öfter auf diese verweisen, in ihnen aber nicht enthalten ist, worauf wir verwiesen werden, so haben wir damit einen sichern Beweis, dass jene Bücher den Ni-

25) Vide annot. 14.

comachien, nicht den Eudemien zufallen, d. h. dass die ächten Bücher letzterer verloren gegangen und später aus ersteren ergänzt worden sind. Wir haben also nicht auf das zu achten, was übereinstimmend, wohl aber was abweichend ist. Dies können nicht Hauptfragen sein, denn von diesen ist zu erwarten, dass sie in der einen wie in der andern Ethik vorkommen mussten; es können nur minder wichtige und untergeordnete Dinge sein, welche Aristoteles in den Nikomachien nicht ausgeführt, Eudemus aber hervorzuheben für wichtig genug erachtet hat. Die hierher gehörigen Stellen sind folgende:«

Quae sequuntur copiosiora sunt quam quae ad verbum omnia repetere possim; itaque, qui accuratius rem persequi vult, ei ipsa Spengelii disputatio est adeunda.

Iam quod ad ea attinet quae ad locum Eud *α*, 5. pag. 1216. 27 a Spengelio annotantur, haec monenda sunt:

I. Primum auctor ipse in fine annotationis (p. 54) dicit: „Indessen wollen wir wenig Gewicht darauf legen, weil man das gesagte, wenn auch nicht durchgeführt, doch immerhin cap. 13—14 angedeutet finden kann.«

Nemo profecto negabit, omnino locos qui ad inferiora lectorem relegant, nunquam tanti faciendos esse, ut pro certo affirmari possit partem operis aliquam deperditam esse, si infra, quae scriptor pollicitus est, non ita ut exspectaveras inveniuntur. Si enim res de qua agitur haud ita gravis est, poteris suspicari scriptorem aut eam oblitum esse, aut certe, si relegationes ad inferiora tot occurrunt quot in Eudemiis inveniuntur, postea, cum graviorum quaestionum numerus magis magisque crescceret, maluisse hoc illudve quod accuratius tractare antea ei operae pretium visum erat, in transitu tantum absolvere, quam disquisitionem nimis multis

ambagibus impedire. Quare omnino loco huiusmodi quibus ad inferiora relegamur longe minorem vim et auctoritatem habere censeo quam, quibus contrarium fit.

II. Porro, etiamsi nusquam responsum illud ad quaestionem Eud α, 5. 1216, 27, quod Spengelius desiderat, inveniatur, nil tamen haec Spengelii observatio efficere possit, ideo quod ipse haud spernendis argumentis in eadem disputatione probavit, aut Eudemum ipsum opus suum imperfectum reliquisse, aut extremam partem Eudemiorum i. e. totum librum ultimum deperditum esse. Nam, hoc si ita est, unaquaeque relegatio ex prioribus Eudemiorum libris ad partes inferiores, etsi loci respondentes desunt, vim suam ad demonstrandum, in Eudemiis tres illos libros interpolatos esse, prorsus amittit; idque eo magis, si ea quae in deperdita parte extrema tractata esse debebant, locum opportunum ad attingendam quaestionem desideratam praebebant. Atqui in fine Eudemiorum, qui deest, auctor nil antiquius habere potuit quam ut (quod in Nicomacheis fieri videmus) ad accuratiorem notionis εὐδαιμονίας explanationem reverteretur; quoniam autem quaestio illa capitis a, 5 quam Spengelius affert, ad nil aliud nisi ad voluptates illas pertinet in quibus vitae beatae dulcedo posita sit, optime sane fieri potuit, ut in ipsa hac parte deficiente scriptor ad eam rediret.

III. Tertium autem est, quod praeter locum illum a Spengelio dictum (Eud η. cap. 13—14), quem quadamtenus rem promissam exhibere concedit, equidem aliud etiam reperio responsum multo magis sufficiens in libri eiusdem capite 15. Ibi enim satis aperte ante oculos ponitur, quales sint scriptori voluptates illae (καλαὶ ἡδοναί τινες) quibus illud ἡδέως ζῆν (οὐ μόνον ἀλύπως) hominis be-

ati effici censeat; καλαὶ πράξεις enim illae in quibus virtus καλοκἀγαθίας versatur, aperte hoc loco significant voluptates suavissimas quae vitam hominis beati exornent. Primum legimus 1249. a. 10: ὥστε τῷ καλῷ κἀγαθῷ καὶ αὐτὰ (scilicet τὰ φύσει ἀγαθά) συμφέροντα καὶ καλά ἐστιν... πολλὰς γὰρ καὶ καλὰς πράξεις δι' αὐτὰ ἔπραξεν κτλ. cum hisce conferas quae a versu 16 leguntur: ἔστιν οὖν καλοκἀγαθία ἀρετὴ τέλειος. καὶ περὶ ἡδονῆς δ' εἴρηται ποῖόν τι καὶ πῶς ἀγαθόν, καὶ ὅτι τά τε ἁπλῶς ἡδέα καὶ καλὰ καὶ τά τε ἁπλῶς ἀγαθὰ ἡδέα· οὐ γίνεται δὲ ἡδονὴ μὴ ἐν πράξει· διὰ τοῦτο ὁ ἀληθῶς εὐδαίμων καὶ ἥδιστα ζήσει, καὶ τοῦτο οὐ μάτην οἱ ἄνθρωποι ἀξιοῦσιν. Etsi confiteor, nonnihil contorti ac perplexi huic loco inesse, tamen mihi dubium non esse videtur, quin nil nisi id ipsum dicere velit quod paullo supra indicavi; idque eo minus quod apud Eudemum καλοκἀγαθία significat summam illam dignitatem humanam quae nos ad εὐδαιμονίαν adducat.

Secunda Spengelii observatio, quam de loco Eud α, 7. pag. 1217. 30 affert, haud sane maiorem vim habet ad infirmandam sententiam nostram; refellitur enim eodem argumento quod in causa antecedente sub numero II expositum est.

Tertio loco Spengelius (pag. 55) ad locum Eud α, 8. p. 1218. b. 11—16 annotat: „Hier ist die Gleichstellung der οἰκονομικὴ mit der πολιτικὴ auffallend; nur einmal findet sich im folgenden VI. 7. gelegentlich die Verbindung der πολιτικὴ und φρόνησις, von einer Angabe des Unterschiedes ist nirgends eine Spur.“

Quod ad primam huius sententiae partem attinet, haud ita mirum mihi esse videtur, quod Eudemus non dubitaverit, duas illas notiones (οἰκονομικὴν et πολιτικήν) ea

ratione iuxta se ponere qua in loco *α*, 8 id fieri videmus.[26]) Ceterum ad rem, de qua agitur, nil prorsus interest, utrum id recte factum sit nec ne. Quare haec prima sententia, a re aliena, in transitu tantum a Spengelio adiecta esse videtur. Altera vero sententia, quae parte posteriori adnotationis supra perscriptae continetur, mihi quidem minime probatur. Locum illum capitis Nic *ζ*, 7, quem Spengelius dicit solum esse qui fortuito coniuncta exhibeat nomina *πολιτικῆς* et *φρονήσεως*, invenimus pag. 1141. 20: *ἄτοπον γὰρ εἴ τις τὴν πολιτικὴν ἢ τὴν φρόνησιν οἴεται σπουδαιοτάτην εἶναι.* At vero, qui nullam praeterea huius rei mentionem fieri, neque usquam differentiae, quae inter has notiones intercedat, expositionem aliquam inveniri contendat, eum prorsus fugisse videntur, quae in capitibus 8 et 9 eiusdem libri leguntur. Postquam enim in capite 7 notio *σοφίας* cum notionibus *φρονήσεως* et *πολιτικῆς* singulatim collata est, redit scriptor, ineunte capite 8, ad considerandam *φρόνησιν*, in qua distinguit duas has partes: *τῶν καθ' ὅλου* et *τῶν καθ' ἕκαστα.* — tum vero a versu b. 22. pag. 1141 incipit comparatio notionum *πολιτικῆς* et *φρονήσεως*, quae nequaquam, quod mihi quidem videtur, dubiam relinquit differentiam desideratam. Cognoscimus enim ex hac comparatione, scriptorem amplissimam quandam *φρονήσεως* no-

---

26) Si forte id te offendit, quod *οἰκονομική* pariter ac *πολιτική* nominatur *κυρία πασῶν*, reputes, illi, in angustiore quodam campo (sclct. in rebus domesticis) salutem humanam curanti, non minorem gravitatem assignandam esse quam quae huic, in amplissimis huius negotii partibus versanti, tribuatur; vere enim dici potest, ex illa in rebus domesticis eodem modo omnia pendere, quo in re publica ratione civili omnia teneantur.

tionem statuere,[27]) quae tria genera complectitur: primum, *φρόνησιν* strictiori significatione et vulgo sic dictam, qua singuli quique suis ipsorum commodis provideant (*ἡ περὶ αὐτὸν καὶ ἕνα*), — alterum, *οἰκονομίαν*, — tertium, *πολιτικήν*, i. e. *φρόνησιν περὶ πόλιν*, quae consulat saluti rei publicae. Intra notionem *πολιτικῆς* partes duae distinguuntur, quarum altera, quae *περὶ τὰ καθ' ὅλου* est, vocatur *νομοθετική*: altera, quae strictiori quidem verbi significatione sed communi iam nomine *πολιτικὴ* nominatur, ad *τὰ καθ' ἕκαστα* pertinet. In fine capitis 8 intra posteriorem hanc notionem iterum scriptor distinguit *δικαστικὴν* et *βουλευτικήν*. Porro, initio capitis 9 de industria repetit, quanta differentia sit inter *φρόνησιν* proprie sic dictam et *πολιτικήν*.[28]) Tandem tria genera *φρονήσεως* iterum comparantur, ubi exponitur, haud sane fieri posse ut *φρόνησις* illa *περὶ τὰ ἑαυτοῦ* careat ope *οἰκονομίας* et *πολιτείας*.[29]) Ex his omnibus manifesto ap-

27) Intelligit enim eam animi facultatem practicam, quae latissima verbi significatione rebus humanis optime gerendis provideat; videas Nic ζ, 5: *ὥστε ἀνάγκη τὴν φρόνησιν ἕξιν εἶναι μετὰ λόγου ἀληθῆ, περὶ τὰ ἀνθρώπινα ἀγαθὰ πρακτικήν.*

28) Legimus ibi: *εἶδος μὲν οὖν τι ἂν εἴη γνώσεως τὰ αὐτῷ εἰδέναι· ἀλλ' ἔχει διαφορὰν πολλήν· καὶ δοκεῖ ὁ τὰ περὶ αὐτὸν εἰδὼς καὶ διατρίβων φρόνιμος εἶναι, οἱ δὲ πολιτικοὶ πολυπράγμονες· ζητοῦσι γὰρ τὸ αὑτοῖς ἀγαθόν, καὶ οἴονται τοῦτο δεῖν πράττειν. ἐκ ταύτης οὖν τῆς δόξης ἐλήλυθε τὰ τούτους φρονίμους εἶναι·*

29) Haec igitur disiunctio ea est quam scriptor proponit:

φρόνησις (amplissima verbi vi)

I. *φρόνησις* proprie sic dicta. (*περὶ τὰ ἑαυτοῦ.*)

II. *οἰκονομική*:

III. *πολιτική*. (*φρόνησις περὶ πόλιν*)

νομοθετική. (*περὶ τὰ καθ' ὅλου.*)

πολιτική stricte sic dicta. (*περὶ τὰ καθ' ἕκαστα.*)

βουλευτική. *δικαστική*.

paret, verbis illis in Eud *α*, 8. 1218. b. 13 quae Spengelius excitat, (*πολιτικὴ καὶ οἰκονομικὴ καὶ φρόνησις*) scriptorem nil aliud significare velle nisi tres unius eiusdemque providentiae humanae rationes. Necessario enim tripartito dividitur cura salutis, prout aut amplissimam eius provinciam (rem publicam) aut angustiorem (rem domesticam) aut angustissimam (propriam unius cuiusque utilitatem) respicis. Nam in capite Nic *ζ*, 8 non accurate quidem definitur notio *οἰκονομίας*, nemo vero negabit, id plane supervacaneum fuisse, quum notio ista ex definitione *πολιτικῆς* exque huius differentia a notione *φρονήσεως*, stricte sic dictae, satis pateat. Itaque nec coniunctio illa nominum *οἰκονομίας* et *πολιτικῆς* mira mihi ut Spengelio videtur, nec concedere possum, deesse locum inferiorem qui priori illi (Eud *α*, 8) respondeat, si liber Nic *ζ* (Eud *ε*) Eudemiis tribuatur.

Quarta Spengelii observatio, quae ad locum Eud *η*, 15. 1248. b. 8—11 pertinet, eorum tantum sententiae adversa esse videtur, qui librum Nic *ε* simul cum reliquis duobus Eudemiis vindicent. Legimus apud Spengelium: „Die Nikomachien erwähnen zweimal dieses Wort (scilicet vocem *καλοκἀγαθία*) IV. 7. p. 1214. 4 und X. 10. p. 1179. b. 10; in den Eudemien aber findet sich in dem vorhergehenden dieser Begriff durchaus nicht.“ Inde recte quidem colligitur, partem aliquam Eudemiorum ante librum Eud *η* deperditam esse; verum totos tres libros intercidisse, inde probari nequit; sed haud dubie ad rem explicandam nostra de mutua duorum operum refectione coniectura sufficit. Nulla enim alia pars controversorum trium librorum ad attingendam illam *καλοκἀγαθίαν* locum magis opportunum praebebat quam ipsa illa disquisitio *περὶ δικαιοσύνης*, quae ex sententia nostra

in Eudemiis deperdita est. Apud Eudemum enim καλοκἀγαθία virtutes ad unam omnes comprehendit, quare vocatur ἀρετὴ τέλειος; atqui legimus in Nicomacheis, virtutem iustitiae, siquidem haec vox in significationem latiorem accipiatur, virtutes morales omnes, quatenus ad alios homines referantur, amplecti (Nic ε, 3. 1129. b. 25 et 30—33); unde fit ut scriptor, solas tamen morales virtutes respiciens, eam τέλειαν ἀρετὴν nominet. Facillime igitur fieri potuit, ut Eudemus, qui in tractanda virtute iustitiae eandem illam amplissimam huius verbi significationem attingere debuit, hoc ipso loco distinctionis causa virtutis καλοκἀγαθίας quoque mentionem faceret, quae ei, id quod apud Aristotelem non invenimus, non moralium tantum, sed omnium potius virtutum summa est. Certe, si necessario concedendum est, notionis eius (καλοκἀγαθίας) in deperdita aliqua Eudemiorum parte superiori olim mentionem exstitisse, longe verisimilius est, id in libro Eud δ quam in alterutro ceterorum librorum fuisse.

Itaque haec observatio succurrere magis quam adversari sententiae nostrae videtur. Quod autem Spengelius commemorat: „Die Nikomachien erwähnen zweimal dieses Wort:“ id nullo pacto ad rem pertinere facillime concedes, quia locus ille a Spengelio allatus non intra controversos libros sed potius in libro Eud η minime addubitate exstat.

Quintum est, quod Spengelius citat locum Eud η, 15. pag. 1249. 16: καὶ περὶ ἡδονῆς δ'εἴρηται ποῖόν τι καὶ πῶς ἀγαθόν, καὶ ὅτι τά τε ἁπλῶς ἡδέα [καὶ] καλά, [καὶ] τά τε ἁπλῶς ἀγαθὰ ἡδέα. ad quem annotat: „Diesen einfachen richtigen Gedanken sucht man vergebens in jener Abhandlung gleich kurz und deutlich ausgesprochen.“

Verba illa: καὶ περὶ ἡδονῆς δ'εἴρηται apud Spengelium literis maioribus distinguuntur, id quod, si simul reputas verba: „in jener Abhandlung" indicium minime dubium praebet, postulasse eum ut nusquam nisi in libro Nic η, idque in ipsa disquisitione περὶ ἡδονῆς, reperiretur sententia illa: καὶ ὅτι κτλ.; quae postulatio mihi ex arbitraria illius loci interpretatione orta esse videtur. Nam equidem non intelligo, qua ratione adductus Spengelius censeat, scriptorem verbis „περὶ ἡδονῆς" eum ipsum locum indicare voluisse quo sententia insequens (καὶ ὅτι κτλ.) exposita sit; mihi enim eodem iure in qualibet alia parte Eudemiorum requiri posse videtur. De verbis quidem: καὶ περὶ ἡδονῆς δ'εἴρηται ποῖόν τι καὶ πῶς ἀγαθόν dubitare nequis, quin ad eam partem libri Nic η Eud ζ, quae de voluptate agit, referenda sint; satis copiose enim de his ibi disputatum est,[30]) id quod Spengelius quoque minime negare videtur; neque tamen necessitatem video ullam, cur alterum illud: καὶ ὅτι κτλ. eodem utique loco tractatum esse debeat. Praeterea dubito, num recte Spengelius postulet ut sententia illa in loco priore aeque breviter ac distincte expressa appareat; idque eo minus postulare posse ideo videtur, quod in verbis illis καὶ ὅτι κτλ. haud levis varietas lectionis invenitur, ex qua patet, dubiam certe esse loci integritatem. Bekkerus ex alio codice lectionem multo breviorem affert, quae pro duplici illa sententia hancce simplicem habet: καὶ ὅτι τά τε ἁπλῶς ἡθέα ἀγαθά, et Spengelius quidem in hoc dubio sane loco eo remedio usus est, ut utramque particulam καὶ uncis includeret. Quod num recte factum, et quaenam lectio vera sit, equidem

30) Hoc iam ex verbis extremis libri Nic η cognoscitur.

diiudicare non audeo; id tantum monere velim, posteriorem loci partem (dico illud: *τά τε ἁπλῶς ἀγαθὰ ἡδέα*) saepissime inveniri in disquisitione *περὶ φιλίας* libri Eud *η*. Legimus enim 1235. b. 32: *τῶν γὰρ ἀγαθῶν τὰ μὲν ἁπλῶς ἐστὶν ἀγαθά, τὰ δὲ τινί, ἁπλῶς δ'οὔ. καὶ τὰ αὐτὰ ἁπλῶς ἀγαθὰ καὶ ἁπλῶς ἡδέα.* tum 1236. a. 9: *ἐπειδὴ τὸ ἡδὺ τὸ μὲν ἁπλῶς καὶ ἀγαθὸν ἁπλῶς, τὸ δὲ τινί κτλ.* tum 1236. b. 26: *ἐπεὶ δ' ἁπλῶς ἀγαθὸν καὶ ἁπλῶς ἡδὺ τὸ αὐτὸ καὶ ἅμα κτλ.* porro 1237. a. 26. *φύσει γ'οὖν τὸ ἁπλῶς ἀγαθὸν ἡδὺ ἁπλῶς.*

Ad priorem autem loci, de quo agitur, partem (*τά τε ἁπλῶς ἡδέα [καὶ] καλά*) una tantum sententia eiusdem disquisitionis *περὶ φιλίας* referri posse videtur, et ne haec quidem ita, ut plane congruere locos ambos contendere queas. Legimus enim 1237. a. 6. *ἀνάγκη, εἶναι τὰ καλὰ ἡδέα. ὅταν δὲ τοῦτο διαφωνῇ, οὔπω σπουδαῖον τελέως.* Inversus videlicet hoc loco vocabulorum ordo est; sed etiamsi affirmare non ausim, ad ipsa haecce verba priorem loci nostri partem referendam esse, maximopere tamen dubito, num hoc argumento, quod haecce sententia in Eudemiis non inveniatur, probare queas, libros controversos huic operi vindicari non posse. Equidem crediderim, longe meliore iure contendi, miram illam extremae Eudemiorum partis corruptionem ad haec quoque verba pertinere, praesertim quum sententia illa: *τὰ ἁπλῶς ἡδέα καὶ καλὰ* alii Eudemi sententiae apertissime repugnet. Explicatur enim illud *καλὸν* in Eudemiis hisce verbis: *τῶν γὰρ ἀγαθῶν πάντων τέλη ἐστίν, ἃ αὐτὰ αὑτῶν ἕνεκά ἐστιν αἱρετά· τούτων δὲ καλά, ὅσα δι'αὐτὰ ὄντα πάντα ἐπαινετά ἐστιν* (videas Eud *η*, 15. 1248. b. 18); nam ad haec si computas, quod in locis illis ex Eud *η*, 2 supra citatis Eudemus apertissime declarat: quaecun-

que sint ἁπλῶς ἀγαθά, ea simul esse ἁπλῶς ἡδέα,—fieri non potest quin concedas, plane falsum esse illud: τὰ ἁπλῶς ἡδέα καὶ καλά. Bona enim huiusmodi, qualia exempli gratia sunt illud ζῆν et illud ὑγιαίνειν, procul dubio ab Eudemo ideo ἁπλῶς ἡδέα nominantur, quod e notione sua sunt ἁπλῶς ἀγαθά; tamen inter illa καλὰ numerare ea non potuit Eudemus, quum non sint ἐπαινετά (legimus 1248. b. 23: ἀλλ' οὐχ ὑγίεια ἐπαινετόν). Itaque nego, Eudemum contendere potuisse, omnia ea quae simpliciter iucunda sint, simul pulchra esse; qua de causa mihi quidem verba illa a Spengelio allata mendosa esse videntur.

Quintae huic annotationi Spengelius ultimam adiungit, quae est de verbis Eud γ, 2: ἀκριβέστερον δὲ περὶ τοῦ γένους τῶν ἡδονῶν ἔσται διωρισμένον ἐν τοῖς λεγομένοις ὕστερον περὶ ἐγκρατείας καὶ ἀκρασίας. Dicit noster: „Es ist nämlich dort um nichts deutlicher über die Verschiedenheit und das γένος der Vergnügungen gesprochen, zumal auch hier die reinen Vergnügungen, αἱ δὲ ὄψεως καὶ ἀκοῆς ἢ ὀσφρήσεως p. 1231. 22 namentlich angeführt sind" id quod equidem nullo pacto concedere possum. In capite 13 enim libri Nic η Eud ζ voluptates omnes ad normam illam in classes digeruntur, quam exhibet eiusdem libri caput 6, ubi auctor hunc in modum illa ἡδέα distinguit.

1248. b. 15: ἐπεὶ δ' ἐστὶν ἔνια μὲν ἡδέα φύσει, καὶ τούτων τὰ μὲν ἁπλῶς τὰ δὲ κατὰ γένη καὶ ζῴων καὶ ἀνθρώπων, τὰ δ' οὐκ ἔστιν,[31]) ἀλλὰ τὰ μὲν διὰ πηρώσεις τὰ

31) Perinde est sive in hunc sensum: οὐ φύσει ἡδέα ἐστίν, sive in hunc: οὐκ ἔστιν ἡδέα accipis haec verba, nam ex aliis locis videmus Eudemum ponere, ea tantum quae φύσει ἡδέα sint, recte vocari ἡδέα. itidemque, quae φύσει sint ἀγαθά,

δὲ δι' ἔθη γίνεται, τὰ δὲ διὰ μοχθηρὰς φύσεις, ἔστι καὶ περὶ τούτων ἕκαστα παραπλησίας ἰδεῖν ἕξεις.

Plane eandem rationem scriptor postea in voluptatibus distinguendis sequitur in capite 13. Sed quum non a notione iucundi sed a notione boni proficiscatur, primo aspectu facile te fugiat, ad ipsa voluptatum genera distinguenda eius verba tendere; tamen haud difficile est intellectu, pari modo eum utraque notione hunc ad finem uti potuisse; quum enim ea tantum vere iucunda esse ponat, quae vere bona sint,[32]) plane eadem genera bonorum ac rerum iucundarum distinguit, atque ita promiscue ex his et illis voluptatum genera ac differentias demonstrare potuit; id quod inde potissimum patet, quod, quam quam incipit a diversitate bonorum, tamen progrediente expositione ad priorem illam distinctionem rerum iucundarum nos relegat.

Legimus enim Nic *η* Eud *ζ*, 13. p. 1152. b. 26.

Πρῶτον μὲν ἐπεὶ τὸ ἀγαθὸν διχῶς (τὸ μὲν γὰρ ἁπλῶς, τὸ δὲ τινί) καὶ αἱ φύσεις καὶ αἱ ἕξεις ἀκολουθήσουσιν, ὥστε καὶ αἱ κινήσεις καὶ αἱ γενέσεις. (hic prae ceteris iam notandum est, auctorem voce *κινήσεις*[33]) procul dubio significare *ἡδονάς*, id quod verba quae in apodosi leguntur, docent; apodosis enim haec habet: *αἱ δ' οὐδ' ἡδοκαὶ ἀλλὰ φαίνονται* i.e. aliae ne recte quidem voluptates nominantur; ita enim auctor iam protasin ad distingu-

---

vero verbi sensu vocari *ἀγαθά*. Infra in distinctione voluptatum, quae plane eiusdem est naturae atque haec disiunctio *τῶν ἡδέων*, voluptates eae, quae ordine suo huic generi *τῶν ἡδέων* respondent, revera voluptates non esse dicuntur.

32) Vide locos supra citatos capitis Eud *η*, 2. 1235. b, 32 etc.

33) Voluptatem non recte nominari *γένεσιν* infra declaratur 1153. a. 9—17.

endas voluptates dictam esse, aperte declarat) *καὶ αἱ φαῦλαι δοκοῦσαι εἶναι αἱ μὲν ἁπλῶς φαῦλαι τινὶ δ' οὔ, ἀλλ' αἱρεταὶ τῷδε, ἔνιαι δ' οὐδὲ τῷδε, ἀλλὰ ποτὲ καὶ ὀλίγον χρόνον, αἱρεταὶ δ' οὔ ..... αἱ δὲ οὐδ' ἡδοναί, ἀλλὰ φαίνονται, ὅσα μετὰ λύπης καὶ ἰατρείας ἕνεκεν, οἷον αἱ τῶν καμνόντων. κτλ.*

Si hic paullulum consistens nexum illum respicis quo haec expositio ipsi disquisitioni de voluptatibus inserta est, negare non poteris, hoc praecipue scriptorem exprimere velle: Voluptates omniuo, similiter ac bona illa in quorum fructu percipiuntur, partim absolute et per se, partim pro diversa hominum natura singulis tantum hominibus optabiles sunt; similis earum voluptatum ratio est, quae duobus his generibus plane contrariae sunt: aliae enim per se quidem reiiciendae, sed huic vel illi forte expetendae sunt, aliae a nemine propter se, sed ad tempus tantum forte cupiuntur. Praeter has, tertio loco eae sunt quae vulgo immerito in voluptatibus numerentur, quum revera voluptates ideo non sint, quod non percipiantur nisi amissa iam naturali integritate. Tum verba quae locum citatum excipiunt, idem fere cadere dicunt in voluptates eas quae in satiando cupiditatum naturalium appetitu percipiantur, quaeque ideo nonnisi *κατὰ συμβεβεκὸς* in numerum voluptatum referantur, quod a temporariis ac naturalibus molestiis nos liberent. Simul liquet ex verbis sequentibus, quasnam potissimum voluptates primo illo genere (quae simpliciter atque absolute sint voluptates) scriptor contineri velit, quum eis quas modo descripsi, opponat illas *τοῦ θεωρεῖν*, doloris omnis atque cupiditatis expertes. Tandem ad priorem illam rerum iucundarum disiunctionem, quam supra citavimus, relegamur, cum scriptor declaret, easdem

differentias quae inter res iucundas intercedant, voluptatum quoque esse; quod magis etiam probare videtur, revera scriptorem superiora illa omnia capitis nostri non alio consilio dixisse, nisi ut voluptatum genera ac differentias describeret.

Verba enim quae locum modo allatum excipiunt, haec sunt:

Ἔτι ἐπεὶ τοῦ ἀγαθοῦ τὸ μὲν ἐνέργεια τὸ δὲ ἕξις, κατὰ συμβεβεκὸς αἱ καθιστᾶσαι εἰς τὴν φυσικὴν ἕξιν ἡδαῖαι εἰσίν· ἔστι δ' ἡ ἐνέργεια ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τοῦ ὑπολοίπου ἕξεως καὶ φύσεως. ἐπεὶ καὶ ἄνευ λύπης καὶ ἐπιθυμίας εἰσὶν ἡδοναί, οἷον αἱ τοῦ θεωρεῖν ἐνέργειαι, τῆς φύσεως οὐκ ἐνδεοῦς οὔσης. σημεῖον δ' ὅτι οὐ τῷ αὐτῷ χαίρουσιν ἡδεῖ ἀναπληρουμένης τε τῆς φύσεως καὶ καθεστηκυίας, ἀλλὰ καθεστηκυίας μὲν τοῖς ἁπλῶς ἡδέσιν, ἀναπληρουμένης δὲ καὶ τοῖς ἐναντίοις· καὶ γὰρ ὀξέσι καὶ πικροῖς χαίρουσιν, ὧν οὐδὲν οὔτε φύσει ἡδὺ οὐδ' ἁπλῶς ἡδύ. ὥστε οὐδ' ἡδοναί· ὡς γὰρ τὰ ἡδέα πρὸς ἀλλήλα συνέστηκεν, οὕτω καὶ αἱ ἡδοναὶ αἱ ἀπὸ τούτων.

Itaque, quum haec ad describenda voluptatum genera, etsi singularum partium exsecutio manca est, sufficiant: nullo pacto probari potest, Eudemum nos ex loco superiore (Eud *γ*. 2.) ad insequentem hanc expositionem hisce verbis: *ἀκριβέστερον δὲ περὶ τοῦ γένους τῶν ἡδονῶν ἔσται διαιρετέον ἐν τοῖς λεγομένοις ὕστερον περὶ ἐγκρατείας καὶ ἀκρασίας* relegare non potuisse; in superiore enim capite illo (*γ*. 2.) nusquam voluptatum genera certo aliquo ordine disponuntur ita, ut recte Spengelius affirmare possit, nihilo distinctius hanc rem in libro Nic *η* quam in capite Eud *γ*, 2. explicari. Ad id quidem praecipue Spengelius provocat, quod in capite *γ*. 2 vel nominatim afferantur voluptates purae (*αἱ δι' ὄψεως κτλ.*); at Eude-

mus non promittit, se singulas voluptatum species infra nominatim enumeraturum esse, sed potius, de genere tantum voluptatum postea accuratius disserendum esse pronuntiat; neque causam equidem video ullam, cur credere non possimus, ipsam hanc expositionem, quae exstat in capite nostro, veram illam esse quam scriptor in capite γ, 2 promittit, praesertim quum eam eo ipso loco quem scriptor indicat (ἐν τοῖς λογομένοις ὕστερον περὶ ἐγκρατείας καὶ ἀκρασίας) reperiamus.

Inter argumenta igitur Spengeliana nullum est, quo sententia nostra refellatur, quare nec dubitabo, in insequenti descriptione dispositionis Eudemiorum libros Eud ε et ζ genuinis et indubitatis huius operis partibus adnumerare; id quod magis etiam comprobatum iri confido, si ostendero, horum librorum rationem cum ea quae in reliquis Eudemiorum partibus servata est, ita congruere, ut facile cognoscas, scriptorem per totum opus uno tenore finem eundem, rationi Nicomacheorum plane oppositum, persecutum esse. Liber Nic ε Eud δ (de iustitia) nil fere ad differentiam duorum operum cognoscendam confert, quia Eudemi dissensio a sententia Aristotelea, quae maxime est de re universa et de summo totius disquisitionis fine, singularum virtutum descriptionem nil paene mutavit. Ceterum, etiamsi dubium non est, quin Eudemus certum quoddam et peculiare consilium ab Aristoteleo plane alienum in toto opere suo persecutus sit, tamen postulari non potest ut singula et minima quaeque in Eudemiis ad singularem illam rationem scriptoris tam accurate accommodata sint, ac si ille opus suum ab initio novum ex suo ipsius fundamento exstruxisset. In rebus enim singulis tam anxie plerumque Eudemus expositionem Aristoteleam sequitur et vel verbis magistri

adhaeret, ut saepissime plane eadem insulse decantet quae apud Aristotelem leguntur; unde fit ut singula nonnunquam cum iis quae generatim et universe dicentur, haud satis consentiant. Quare in rebus quibusdam haud ita facile cognoscas, quidnam sententia Aristotelea ab Eudemia differat. Itaque si id agis, ut consilium quod scriptor Eudemiorum per totum opus secutus sit, uno in conspectu videas, in iis rebus ubi singula apud Eudemum non satis inter se congruere videntur, multo magis ea respicienda erunt quae a sententia Aristotelea dissident, quam, quae ex Nicomacheis inconsiderate repetita sunt.

Iam igitur non inutile esse videtur, eos locos Eudemiorum qui scriptoris dissensionem a sententiis Nicomacheorum prae se ferunt: quamquam unum vel alterum in superiore disputatione hic illic forte dispersos iam attulimus: certo quodam ordine colligere, quo clarius Eudemi rationem atque consilium perspiciamus.

In parte prima et generali Eudemiorum, si sententiarum ordinem et nexum multis locis mutatum omittis, maxima reperitur similitudo cum Nicomacheis; differentiae tamen quae occurrunt hae fere sunt:

Primum in capite β, 8 demonstrationem de notione: quid sit φύσει, invenimus, qualis nusquam exstat in Nicomacheis, [34]) quaeque procul dubio lucem aliquam iis sententiis affert quas infra in libro Eud ε de virtute naturali legimus.

Praeterea additamentum illud ad verba Aristotelea, quod in capite β, 5. 1222. b. 7. invenitur: καὶ πρὸς τίνα δεῖ ὅρον ἀποβλέποντας λέγειν τὸ μέσον, haudquaquam for-

34) Conferas Nicomacheorum locum respondentem χ. 1 et 2 et 3.

tuito adiectum esse videtur, cum eadem haec res, quae Eudemo maximopere cordi est, postea compluribus locis accuratius repetatur.

Quae denique in capite *β*, 11 exposita legis, non e Nicomacheis sumta sunt, et apertissime praeparant controversiam de *ὀρθῷ λόγῳ* Aristotelis, ad quam redit scriptor in libro *η* (cap. 15.) Loco enim *β*, 11. p. 1227. b. 20 legimus: *ἔστι γὰρ τὸν μὲν σκοπὸν ὀρθὸν εἶναι, ἐν δὲ τοῖς πρὸς τὸν σκοπὸν διαμαρτάνειν· ἔστι δὲ τὸν μὲν σκοπὸν ἡμαρτῆσθαι, τὰ δὲ πρὸς ἐκεῖνον περαίνοντα ὀρθῶς ἔχειν, καὶ μηδέτερον. πότερον δ' ἡ ἀρετὴ ποιεῖ τὸν σκοπὸν ἢ τὰ πρὸς τὸν σκοπόν; τιθέμεθα δὴ ὅτι τὸν σκοπόν, διότι τούτου οὐκ ἔστι συλλογισμὸς οὐδὲ λόγος. ἀλλὰ δὴ ὥσπερ ἀρχὴ τοῦτο ὑποκείσθω. οὔτε γὰρ ἰατρὸς σκοπεῖ εἰ δεῖ ὑγιαίνειν ἢ μή, ἀλλ' εἰ περιπατεῖν ἢ μή, οὔτε ὁ γυμναστικὸς εἰ δεῖ εὖ ἔχειν ἢ μή, ἀλλ' εἰ παλαῖσαι ἢ μή.* Ibidem versu 34: *εἰ οὖν πάσης ὀρθότητος ἢ ὁ λόγος ἢ ἡ ἀρετὴ αἰτία, εἰ μὴ ὁ λόγος, διὰ τὴν ἀρετὴν ἂν ὀρθὸν εἴη τὸ τέλος, ἀλλ' οὐ τὰ πρὸς τὸ τέλος. τέλος δ' ἐστὶ τὸ οὗ ἕνεκα.*

Quae verba si primum per se consideras, vel sic cognoscis, cur in inferioribus libris neget Eudemus, illum *λόγον* solum ad constituendam normam moralitatis sufficere. Ideo enim, ex sententia Eudemi, fieri non potest ut (quod Aristoteli placet) *λόγος* per se principium summum moralitatis nos doceat, quod minime pertineat ad finem actionis constituendum (*τέλος* seu *σκοπὸς* seu illud *οὗ ἕνεκα*) sed viam tantum aptissimam monstret, qua ad propositum nostrum, quodcunque sit, assequendum perducamur.[35])

---

35) Vide supra p. 24—35.

Iam vero si locum nostrum cum capitibus Eud ε, 2 et η, 15 confers, vides, hoc iam loco in comparatione illius λόγου cum ἰατρῷ, qui uterque non proprie finem qui appetendus sit, constituat, argumentum illud praeparari quo infra Eudemus (locis quos modo dixi) Aristoteleam determinationem moralitatis mancam esse demonstrat; utroque enim loco denuo ad exemplum illud de medico nos reducit:

Si praeterea verba: τέλος δ'ἐστὶ τὸ οὗ ἕνεκα cum verbis loci Eud η, 15: οὐ γὰρ ἐπιταπτικῶς[36]) ἄρχων ὁ θεός, ἀλλ' οὗ ἕνεκα ἡ φρόνησις ἐπιτάττει, quae ad Aristoteleum illum ὀρθὸν λόγον spectant, comparas: magis etiam intelligis, quo consilio auctor iam in capite β, 11 demonstrationem illam dederit, qualis in loco respondente Nicomacheorum plane nulla reperitur (Nic γ, 8).

Sententiae illae quas locus β, 11 exhibet, in inferioribus Eudemiorum libris hunc fere in modum amplius explicantur: ὀρθὸς λόγος, quem vero suo nomine φρόνησιν nominari, in Eud ε, 13 exponitur,[37]) ipse non prius existit quam virtus moralis (quamquam naturalis tantum) nobis iam inest.[38]) Intra notionem illius facultatis animi quae ad ea quae τὰ πρὸς τὸ τέλος nominantur, praescribenda pertinet, rationem quandam quasi naturalem (δει-

---

36) Λόγος enim (qui hac in re φρόνησις nominatur. vide ann. 37) et ἰατρὸς nonnisi ἐπιτακτικῶς ἄρχουσιν.

37) Eud ε, 13: οὐ γὰρ μόνον ἡ κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον, ἀλλ' ἡ μετὰ τοῦ ὀρθοῦ λόγου ἕξις ἀρετή ἐστιν. ὀρθὸς δὲ λόγος περὶ τῶν τοιούτων ἡ φρόνησίς ἐστιν.

In eodem capite paullo supra: ἡ μὲν γὰρ ἀρετὴ τὸν σκοπὸν ποιεῖ ὀρθόν, ἡ δὲ φρόνησις τὰ πρὸς τοῦτον.

38) L. c. ὥστε φανερὸν ὅτι ἀδύνατον φρόνιμον εἶναι μὴ ὄντα ἀγαθόν.

νότητα) notioni φρονήσεως Eudemus simili modo opponit, quo a virtute naturali distinguit eam, quam nominat κυρίαν.[39]) Eadem enim illa facultas quae ad quodlibet consilium exsequendum viam aptissimam indicat (δεινότης) tum demum recte φρόνησις nominatur, si is, qui eam exercet, est homo bene moratus, ita ut φρόνησις proprie ac vere sic dicta nulla omnino existat, quae cum virtute morali non coniuncta appareat;[40]) munus autem, quo fungitur, id tantum est, ut, postquam consilium morale iam captum et voluntas iam determinata est ex virtute morali, sit nisi inserviat exsequendo consilio virtutis.[41]) Iam igitur non tam ille λόγος per se nos ad consilium morale (προαίρεσιν ὀρθήν) adducit, quam ipse potius tum demum vere ὀρθὸς λόγος (i. e. vere moralis) vel vera φρόνησις est, si ad eum ipsum finem spectat, quem sua sponte virtus moralis appetendum praescribit.[42])

---

39) Ibidem: καὶ γὰρ ἡ ἀρετὴ παραπλησίως ἔχει ὡς ἡ φρόνησις πρὸς τὴν δεινότητα· οὐ τ'αὐτὸν μὲν, ὅμοιον δὲ· οὕτω καὶ ἡ φυσικὴ ἀρετὴ πρὸς τὴν κυρίαν.

40) Ibidem: ἔστι δή τις δύναμις ἣν καλοῦσι δεινότητα· αὕτη δ'ἐστὶ τοιαύτη ὥστε τὰ πρὸς τὸν ὑποτεθέντα σκοπὸν συντείνοντα δύνασθαι ταῦτα πράττειν καὶ τυγχάνειν αὐτῶν... ἔστι δ'ἡ φρόνησις οὐχ ἡ δεινότης, ἀλλ'οὐκ ἄνευ τῆς δυνάμεως ταύτης. ἡ δ'ἕξις τῷ ὄμματι τούτῳ γίνεται τῆς ψυχῆς οὐκ ἄνευ ἀρετῆς, ὡς εἴρηταί τε καὶ ἔστι δῆλον (vide ann.38.)

41) Τὴν μὲν οὖν προαίρεσιν ὀρθὴν ποιεῖ ἡ ἀρετή, τὸ δ'ὅσα ἐκείνης ἕνεκα πέφυκε πράττεσθαι οὐκ ἔστι τῆς ἀρετῆς ἀλλ' ἑτέρας δυνάμεως (sequuntur verba annotationis 40.)

42) Summus videlicet scopus vel summum illud οὗ ἕνεκα ad quod actiones omnes, quatenus morales sunt, aeque tendere debent, quemadmodum in rebus medicis omnia sanitatis causa fiunt, Eudemo est illud: τὸν θεὸν θεραπεύειν καὶ θεωρεῖν. Eud η, 15.

Sed, ut ad librum β revertamur, praeter tres locos istos, qui ab auctoritate Nicomacheorum discedunt, in capite β, 2 id nos offendit, quod Eudemus sententiam illam, qua in Nicomacheis negatur, esse aliquam moralitatem naturalem, consulto praetermittit; quam rem ad inferiorem illam expositionem de virtute naturali in Eud ε, 13 referendam esse, supra iam indicavimus.

Descriptio singularum virtutum moralium quae in libris proximis sequitur, eadem fere in utroque opere est; unus tantum locus hac in parte memoratu dignus esse videtur Eud γ, 7. 1234, 27—33, ubi primum Eudemus voce »φυσικαὶ ἀρεταί« utitur, quam in Nicomacheis nusquam invenimus. Liquet hoc loco (id quod ad ea, quae infra ab Eudemo exponuntur, intelligenda haud parvi momenti est) virtutes morales omnes quas hucusque Eudemus descripsit, in virtutibus istis naturalibus numerandas esse; causa enim exstat nulla, cur virtutes δικαιοσύνης et σωφροσύνης maiore iure ita nominare ei liceat quam ceteras omnes. Rem eandem certius etiam cognoscimus e capite Eud. ε, 13. 1144. b. 5.

Virtutibus moralibus tractatis, priusquam de virtutibus ingenii quaeritur brevis commentatio interponitur (Eud ε, 1), quae denuo necessitatem adiungendi termini cuiusdam ad complendam Aristoteleam definitionem moralitatis attingit, et simul impugnat mancam rei determinationem quam Aristoteleus ille ὀρθὸς λόγος praebere videtur; quamquam scriptor, modestia quadam usus, eam obscuram tantum nominat. Hisce rebus descriptio virtutum ingenii ita adiungitur, ut e sola cogitatione ista pendere et huic potissimum explicandae inservire videatur.

Huius generis virtutibus breviter perstrictis, quae-

stio movetur, quaenam earum utilitas sit; quae quaestio, si ab Aristotele proponeretur, haud dubie mira esset. Quae exstant apud Eudemum ad laudandam virtutem σοφίας, propriam quidem eius dignitatem, deficiente etiam utilitate, agnoscunt, multo tamen ieiuniora sunt quam quae hac de re ex sententia Aristotelis dici poterant atque debebant, praesertim si ea respicis quae in libro ultimo Nicomacheorum leguntur.

Tum vero scriptor utilitatem illam quam alia harum virtutum pars revera affert, quaeque in elatiori quadam moralitate (ἀρετῇ κυρίᾳ) efficienda consistit, tam diligenter tractat, et totam fere reliquam partem disquisitionis de virtutibus ita ad res morales denuo ex parte alia considerandas disponit, ut iam inde facile cognoscas, quidnam potissimum opus Eudemi sibi propositum habuerit. Sub novo nomine ἀρετῆς κυρίας alia moralitatis notio proponitur, quam scriptor a priori illa (quam nominat ἀρετὴν φυσικήν) eo maxime differre declarat, quod necessario cum virtute ingenii coniuncta sit; summum autem huiusmodi virtutis cacumen procul dubio scriptori illa καλοκἀγαθία est, quam in libri η capite ultimo tractat; haec enim virtutes utriusque generis complectitur omnes.

Ad eandem hancce notionem elatioris cuiusdam moralitatis, in qua utriusque animi partis facultates simul vigeant, tota fere ulterior disquisitio ita spectat, ut iam dubium non sit, quin id potissimum cordi fuerit Eudemo, ut res morales, quas apertissime Aristoteles virtutibus intelligentiae longe postponit, alia et nova notione moralitatis constituta ad meliorem existimationem reduceret; cui opinioni id maxime favet, quod apud Eudemum, non sicut apud Aristotelem sola σοφία, virtus pure ac summe intellectualis, sed potius καλοκἀγαθία, quae maxima

quidem ex parte procul dubio virtutum moralium naturam sequitur, sed alterius quoque animi partis virtutes ex sententia Eudemi simul continere videtur, summa virtutum humanarum est.[43])

---

43) Patet non solum ex ipsa descriptione vitae beatae quae in exercenda virtute καλοκἀγαθίας consistit (Eud η, 15), sed etiam e ratione illa qua scriptor in parte ulteriore capitis η, 15 a quaestione de vera determinatione notionis moralitatis ad determinationem virtutis universae (ad ὅρον καλοκἀγαθίας) nos perducit: ad vitam vere beatam ex sententia Eudemi exercitationem virtutum earum quae ad res gerendas pertineant, necessariam esse. (Conferas locos 1249. b. 3—13 et b. 19 et b. 23, simul respicias locum 1249. a. 21). Nihilominus verba illa quibus huius virtutis notio determinatur, quaeque finem istum qui proprie ac peculiariter huic propositus sit, indicant, (dico verba: τὴν τοῦ θεοῦ θεωρίαν) eam speciem praebent, ac si scriptor summum intelligentiae fastigium potius, non summam dignitatem moralem hoc nomine intelligi voluerit. Sed procul dubio ex sententia Eudemi in virtute summa atque universa duo haec munera necessario coniuncta sunt. Nam, etsi verbum θεωρεῖν (τὸν θεόν), quod loco modo dicto invenimus, determinationem continet haud dubie similem notioni illius virtutis (σοφίας), quam Aristoteles summam esse ponit; tamen totum caput nostrum et inprimis declaratio illa quae paullo supra exstat: nil nisi deum ipsum actionum vere moralium principium summum esse, satis aperte testatur, Eudemum id potissimum in describenda virtute καλοκἀγαθίας egisse, ut notionem summae moralitatis, quae (similiter atque illa ἀρετὴ κυρία) necessario simul omnem alterius quoque animi partis virtutem contineret, illo sub nomine exponeret. Nam, etsi non expresse declarat Eudemus, illo τὸν θεὸν θεραπεύειν se vitam vere moralem et πολλὰς illas καὶ καλὰς πράξεις intelligi velle; tamen id certe constat, statuere eum

Exceptis capitibus illis quae de voluptate et de amicitia et de fortuna secunda agunt, quaeque propter argumenti naturam longe minus principali illo scriptoris consilio attinguntur, inde a loco nostro usque ad finem libri Eud η scriptorem nil fere nisi eandem illam notionem verae ac propriae moralitatis persequi videmus.[44]) In libro Eud ζ nonnulla invenis, quae, si singula auctor persecutus esset, ad evolvendam alteram quandam et no-

---

nexum arctissimum inter summum intelligentiae studium illud quod nominat θεωρίαν τοῦ θεοῦ, et eam rerum gerendarum rationem vere moralem in qua virtus καλοκἀγαθίας consistat. Aristoteles contra adeo nullum nexum arctiorem statuit inter summae virtutis ingenii (σοφίας) exercitationem et actiones virtutum earum quae in rebus gerendis versantur, ut aperte declaret: vitam hominis sapientis tum vel maxime fore beatam, si fieri posset ut a rebus gerendis omnino vacaret; quatenus autem ille σοφὸς ipse sit homo ideoque necessario cum hominibus commercium habeat et agendum ei sit, eatenus eum bonos mores praeferre pravis. Nic κ, 8. 1178.b.5.legis: ἡ δ' ἄνθρωπός ἐστι καὶ πλείοσι συζῇ, αἱρεῖται τὰ κατ' ἀρετὴν πράττειν, e quibus verbis sequi videtur, censuisse Aristotelem, illum σοφόν, si effici posset ut extra omnem convictum humanum vitam degeret atque ita actionibus illis in quibus virtus moralis versatur omnino supersederet, nihilominus nec de dignitate nec de beatitudine sua (cuius gradus summus in sola contemplatione rerum aeternarum consistit) quidquam deperditurum esse. Nam deorum quoque, quibus actiones morales assignare absurdissimum esset, beatitudo aeterna in sola intelligentia suprema posita est (vide Nic κ, 8.)

44) In primis Eudemiorum libris legimus quidem: ἀρετὴ καὶ ἐγκράτεια ἕτερον, sed vox ἀρετὴ hoc loco nil nisi simplicem illam moralitatem significat quam postea scriptor nominat φυσικήν. Idem de iis verbis censemus quae in primis versibus libri Eud ζ leguntur.

vam virtutum humanarum seriem eum ducere debebant, quarum summa atque ultima in capite extremo libri η sub nomine καλοκἀγαθίας apparet. Scriptor enim, postquam in fine libri ε nonnulla de ratione quae inter virtutem moralem (scil. simplicem ac naturalem) et φρόνησιν intercedat, adiunxit, ad notionem ἐγκρατείας transit; hanc autem accuratissime a moralitate illa quam aliis quoque locis saepissime simpliciter ἀρετὴν nominat (φυσικὴν dico) distinguit.

Ἐγκράτεια quam describit Eudemus, procul dubio nulla alia re a simplici virtute morali differt, nisi quod iam non e sola consuetudine (ἔθος) pendet, sed ipsa potius vi ingenii atque intelligentiae nitens, virtutem intellectualem arctissime cum virtute morali coniungit. Itaque certissimum mihi esse videtur, scriptorem in ea plane idem cogitare quod iam in notione ἀρετῆς κυρίας generatim proposuerat.

Hac enim in re id praecipue respicias oportet, quod illa ἐγκράτεια et ἀκρασία non tam angusta notione continentur ut soli virtuti σωφροσύνης et vitio ακολασίας (quae ab Eudemo inter illa φυσικὰ numerantur) oppositae sint, sed scriptor postea diserte ἐγκράτειαν eam quae vulgo simpliciter et sine ullo apposito ita nominetur, a ceteris speciebus, uno hoc nomine: ἐγκράτεια κατὰ πρόσθεσιν comprehensis, distinguit. Ponit autem totidem species ἐγκρατείας κατὰ πρόσθεσιν (quas iure plurimo ut singulas species ἀρετῆς κυρίας accipere potest), quot antea virtutes morales naturales descripsit, hae autem ab illis nulla alia re differunt, nisi quod ex ipsa iusti et recti cognitione proceduut; ἀκρατὴς autem in re unaquaque is nominatur, qui, cum probe noverit se non recte agere, tamen propter repugnantiam pravarum cupiditatum a se

impetrare non potest ut actiones suas ad praecepta rationis dirigat. Huiusmodi ἐγκρατείας καὶ ἀκρασίας (κατὰ πρόσθεσιν) scriptor nominatim enumerat ἐγκ: χρημάτων, κέρδους, τιμῆς, θυμοῦ, ὀργῆς (Eud ζ, 2 et 1147. b); simul id quod de prima illa specie (quam cum virtute σωφροσύνης et cum vitio ἀκολασίας confert) expositum invenimus, tam facile ad ceteras omnes accommodari potest, ut recte scriptori supervacaneum visum sit singula quaeque accuratius persequi.

Ab hisce speciebus elatioris moralitatis disquisitio nusquam ad virtutes ingenii revertitur; immo, ut in libro ε brevis illa harum virtutum descriptio eam speciem prae se fert ac si praecipue ac solum fere ad notionem illam propriae ac verae moralitatis introducendam inserviat: — ita in extrema quoque operis parte Eudemum prae ceteris ad rem moralem exornandam inclinare videmus. In summo enim fastigio mixtam illam virtutem καλοκἀγαθίας, supra iam satis tractatam, ponit, quae, id quod totum caput η, 15 nos docet, praestantiam omnem animi humani continet; unde, quum certe nomine suo haec virtus speciem summae moralitatis prae se ferat, colligimus, Eudemum summum dignitatis gradum non tam soli virtuti intellectuali, quam coniuncto potius utrique virtutum generi tribuere voluisse; minime enim θεωρία illa τοῦ θεοῦ ita extra nexum omnem cum rebus moralibus est: ut apud Aristotelem θεωρία illa in qua virtus σοφίας versatur, nil plane commune cum aliis contentionibus ac studiis humanis habet. (Nic κ, 7. οὐδὲν γὰρ ἀπ' αὐτῆς (σοφίας) γίνεται παρὰ τὸ θεωρῆσαι). Nam apud Eudemum ille θεὸς simul significat principium illud ad quod res morales omnes dirigendae sint (Eud η. 15) ideoque inter θεωρίαν illam τοῦ θεοῦ et studium moralitatis vel

rerum egregie ac pulchre gerendarum rationem nexus arctissimus esse videtur.

Denique rem eandem in quam virtus καλοκἀγαθίας et pariter virtutes omnes tendere debeant, (dico illud τὸν θεὸν θεραπεύειν καὶ θεωρεῖν) Eudemo simul normam esse ex qua bonorum omnium possessio aestimanda sit, supra iam expositum est. (Conferas annot. 21.)

Itaque quaestiones illae quas Eudemus in libris prioribus ad corrigendam doctrinam Aristoteleam posuit, quasque in libris controversis diligentius retractavit, in capite ultimo libri η solvuntur; qua de causa ex eodem hoc capite via ac ratio totius Eudemiorum dispositionis, quatenus ab illa quam Nicomachea sequuntur discedat, facillime cognosci potest; simul autem apparet, Eudemum ideo potissimum rebus moralibus auctoritatem maiorem tribuere debuisse, quod eas multo magis in partem religionis convertit quam ut practicam potissimum rationem Aristoteleam sequatur. Itaque si ea quae in singulis Eudemiorum partibus dispersa et diffusa inveniuntur, hunc in modum uno in aspectu ponis, tenorem huius operis quodammodo continuum, quem scriptor in certo quodam consilio persequendo servaverit, cognoscis; eumque eo clarius perspicis si libros controversos Eud ε et ζ huic operi adiungis. Nicomacheis autem si libri isti tribuuntur, non solum utilitatem huiusmodi ibi non habent, sed adeo singularum partium concentui, quo opus vere continuum efficitur, plurimum obsunt. Speciem vero ambiguam quam liber Nic ζ Eud ε praebet in Nicomacheis, quamque Schleiermacherus rectissime vituperat, nil iam, si hunc librum ad Eudemia trahis, miraberis: dummodo singulare illud consilium con-

sideres quod Eudemum secutum esse ex demonstratione nostra patet.

Iam igitur posthac fieri non posse confido, ut aut ethica Nicomachea ideo aliquis abiudicanda Aristoteli esse contendat, quod nimis inter se partes eorum dissentiant: aut ethica Eudemia ad commentanda tantum atque interpretanda Nicomachea conscripta esse censeat ideo, quod primo aspectu inter duo haec opera maxima similitudo esse videtur.